Emendationum Aristotelearum Specimen.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

litterarum universitate

Friderica Guilelma Berolinensi

ad summos in philosophia honores rite impetrandos

scripsit

Vernerus Guilelmus Jaeger
Rhenanus

Promotio sollemnis habebitur d. V m. Julii 1911.

De dissertatione ad ordinem rettulerunt

Hermannus Diels, Dr. Prof. publ. ord.

Udalr. de Wilamowitz-Moellendorff, Dr. Prof. publ. ord.

Ordo mihi permisit, ut dissertationis hanc Emendationum particulam seorsum ederem. maiorem partem quae est de origine Metaphysicorum quomodo editurus sim, nondum satis mihi constat.

Amicis Berolinensibus

S.

Index

eorum locorum qui hac commentatione tractantur.

Dissertationis meae, quam universitatis Berolinensis amplissimo philosophorum ordini ad summos in eo ordine honores impetrandos proposui, cum duae omnino essent partes, quarum utraque in se perfecta neque artiore vinculo cum altera coniuncta erat, haec minutior quae inscribitur Aristotelearum emendationum specimen, illa amplior et gravior quae est de Metaphysicorum Aristotelis origine et forma (inscribitur *Studien zur Entstehungsgeschichte der Metaphysik des Aristoteles*), non has ambas partes simul edere sed minorem prius publici iuris facere animum induxi. tamen ne, quid ampliore illo libro egerim, quem seorsum postea editurus sum, lectorem omnino fugiat, conspectum earum rerum statui huic dissertationis particulae praemittere, quas in altera parte tractavi. quamobrem singula illius libri capita iam disponam breviterque quid evicisse mihi videar docebo.

Introductionem ita institui, ut inde a Petito antiquissimisque Metaphysicorum castigatoribus usque ad nostram aetatem viros doctos percenserem, qui de horum librorum statu origine ordine aliquid memoratu dignius excogitaverunt. atque ita rem egi ut ipso principio totius censurae quae non foret via eunda ostenderem, transpositionem dico singulorum librorum. tamen defensorem vel laudatorem — quales ante me permulti extiterunt — eius condicionis Metaphysicorum, quam memoria accepimus, me minime evasisse prima

pars satis clare testatur. sed iam proponam dispositionem ipsam:

I. Pars: de Metaphysicorum compositione

cap. 1. recensiones duplices minores

particula 1. *A* 10,
„ 2. *E* 4, 1027 b 25 — 1028 a 3,
„ 3. *A* 9, 990 b 2 — 991 b 8, *M* 4, 1078 b 32 — 5, 1080 a 11.

cap. 2. capita dispersa atque vaga

particula 1. *M* 9, 1086 a 21 — 10, 1087 a 25; *K* 8, 1065 a 27 — fin. adiunxi: de duobus Politicorum capitibus,
„ 2. *Θ* 10, 1051 a 34—1052 a 11,
„ 3. *Z* 12 et *H* 6.

cap. 3. de duplici recensione librorum *BΓE* quae est *K* 1 — 8, 1065 a 26.

cap. 4. de Metaphysicorum partibus cohaerentibus.

cap. 5. de libris male inculcatis

particula 1. de libro ᾱ ἔλαττον qui vocatur,
„ 2. de libro *Δ*,
„ 3. de libro *Λ* sive de theologia Aristotelis.

II. Pars: de Metaphysicorum forma et condicione

cap. 1. de πραγματειῶν apud Aristotelem condicione universa

particula 1. de πραγματειῶν editione,
„ 2. de πραγματειῶν divisione.

cap. 2. de Metaphysicorum libris

particula 1. de variis quae in hanc Metaphysicorum seriem collectae sunt partibus,
„ 2. quemadmodum hae partes collectae sint.

Partis primae capite primo demonstravi in Metaphysicis complures locos inveniri manu philosophi iteratis curis tractatos ita ut saepius duae recensiones eiusdem sententiae sive maioris partis extent. velut *Δ* 10 putavi capitis *Δ* 7 duplicem esse recensionem, quod *Δ* 10 in suum locum minime quadrat neque primum librum cum altero coniungit. cuius rei exempla compluria attuli. ut *E* 4, 1027 b 25 — 1028 a 3 duas sententias inter se toto caelo discrepantes comprehendit, quas diversis temporibus etiam scriptas esse cuivis perspicuum est. de ea re quae ad philosophiae Aristoteleae partem intimam attinet, dico veritatis notionem duplicem, fusius hic disserere nolo. tertia primi capitis particula de duobus locis, qui paene ad verbum congruunt, iam diu inter viros doctos notis egi, de *A* 9, 990 b 2 — 991 b 8 et de *M* 4, 1078 b 32 — 5, 1080 a 11, qui qua de causa bis in Metaphysicorum corpore positi essent, accuratius inquisivi. capite secundo eas tractavi Metaphysicorum partes, quae non ex re ipsa suo loco sequuntur, sed magis arbitrio philosophi intercalatae sive libro alicui tanquam additamenta postpositae sunt. prima particula eius capitis de fine libri *K* (*K* 8, 1065 a 27 usque ad finem) ita statui capita illa spuria a redactore quodam in hunc ordinem digesta et in libri fine posita esse. aliis exemplis demonstravi iam ab Aristotele ipso additamenta maxime in fine singulorum voluminum adiecta esse, cum ibi facillime charta longius produci posset. quod apparere videbatur fine libri *M*, *M* 9, 1086 a 21 — 10, 1087 a 25. ea enim pars cum toto libro *M* non modo non conexa est, sed nullis inter-

pretandi artificiis coniungi potest, quippe quae conexum perfectum et firmum, qui est inter *M* 9, 1086 a 19 et *N*, foede interrumpat neque omnino totius eius disputationis scopum, quem libri *M* et *N* sequuntur, respiciat. quare iam antiquissimi commentatores, utri libro potius attribuerent eam partem, dubitaverunt. addidi huic particulae exempla duo ex Politicorum libris deprompta — dico Politicorum capita *B* 12 et *Γ* 18 quae additamenta postea a philosopho adiecta habenda sunt. secunda particula idem demonstravi de Metaphysicorum *Θ* 10, 1051 a 34 — 1052 a 11, quam partem eodem tempore eademque de causa atque *E* 4, 1027 b 25 — 29 ab Aristotele libro additam esse ostendi. tertia denique particula egi de *Z* 12 et *H* 6, quae capita de unitate definitionis sunt. demonstravi ea eiusdem disputationis esse duplicem formam diversis temporibus ortam et priorem esse *H* 6; cap. *Z* 12 non perfectum esse neque semper suam sedem tenuisse; sed non medium librum *Z* semper interiecto capite *Z* 12 in duas partes diremptum fuisse, ut nunc res se habet; immo compluribus indiciis patefieri olim *Z* 12 quoque additamentum in fine voluminis adiectum extitisse ita ut liber *Z* in duo volumina olim divisus esse videatur, quorum alterum capita 1—11, alterum capita 13—17 complectebatur.

Ad tertium venio caput, quo duplicem recensionem librorum *BΓE*, quae extat *K* 1—8, 1065 a 26, denuo tractavi ita ut non solum suspiciones, quas doctissimi viri iam saepe de genuina eius libri origine moverant, tollerem, sed etiam, quid ex his rebus bene cognitis ad statum Metaphysicorum universum perspiciendum disci posset, explanarem. hoc videlicet capite Natorpii rationes ex philosophia

petitas, quas contra libri *K* partem priorem congessit, dilui ac refelli. quarto capite eas Metaphysicorum partes, quae ab initio secundum philosophi consilium eundem scopum disputationis sequi deberent, colligere et inter se quemadmodum coniungendae essent accurate explicare conatus sum. qua in quaestione profectus sum non ab opinione praeiudicata, qua Bonitzius et Brandisius libros Metaphysicorum inde ab *A* usqua ad *Θ* — exceptis $\bar{\alpha}$ minore atque *Δ* — unam tanquam scholarum seriem praestare voluerant, sed magis a problematis libri *B*, ab notione et natura primae philosophiae, deinde a testimoniis ipsius scriptoris eisque certissimis i. e. ab eis, quarum interpretatio nullam haberet dubitationem. atque cum difficile sit totius capitis sententiam ac rationem breviter exponere, satis habeo hoc unum memoravisse opinionem Bonitzii, quae est de perfecta et continua illa librorum *A*—*Θ* serie, fundamento certo carere.

Quinto capite eos libros breviter adumbravi, qui etiam Bonitzii iudicio a serie illa continua alieni sunt — dico $\bar{\alpha}$, *Δ*, *Λ*. quos libros non ab Aristotele, sed a redactore posteriore in metaphysicarum disputationum collectionem illatos suoque loco interpositos esse demonstravi, ita tamen ut non multum novi proferrem, quod a Bonitzii et Brandisii sagacibus iudiciis diversum esset.

Iam quid ex hac tota prima parte disputationis meae amplioris consectarium sit, in universum proponam. libri illi, qui inscribuntur Metaphysica, Aristotelis esse putandi sunt omnes (praeter *K* 9—12, quae capita spuria esse inter viros doctos convenit). neque tamen unum opus illi in se absolutum et perfectum efficiunt neque unquam ad eum finem conferri eos consilium fuerat. immo lucubrationes philosoph

sunt diversae, quae variis rebus inserviunt. quamquam complures ex his libris inter se cohaerere quodam modo et ab Aristotele re vera ita ut nunc continuantur recitatos esse infitiandum non est. velut in *ΑΒΓΕ* Aristoteles discipulos in primam philosophiam introducit et altissima eius disciplinae fundamenta struit; item partis gravissimae eius scholae reliquiae ampliores servantur — *Ι* dico, *M* 1—9, *M* 9—10, *N* —. verum enim vero ipsae illae unius tenoris reliquiae, quamvis ad eandem scholam pertinere perspicuum sit, non continuo ordine iunctae sunt. tametsi enim *MN* vel *Ι* librum *E* sequi poterant, fieri etiam poterat, ut omnino non in eundem unum ordinem eos redigi oporteret, quia Aristoteles certum scholarum ordinem haud scio an efficere nec voluerit neque conatus sit. certe deest huic ordini apex et fastigium i. e. de rebus divinis et de essentia simplici et aeterna expositio. nam quae extat doctrina in libro *Λ*, ea cum libris *ΑΒΓΕ* et *MN* conecti nullo pacto potest.

Cum illi libri quos modo diximus, quamvis aliqua ex parte sui iuris putandi sint, tamen cogitando coniungendi sint et tanquam unam seriem efficiant, ea quae reliqua sunt cum ea serie non conspirant. nam diversas habemus disputationes metaphysicas, quae agunt de singulis primae philosophiae partibus vel quaestionibus, ut libros *ZH* inter se cohaerentes, qui sunt de substantia, librum *Θ* de potentia et actu, librum *Δ* de varietate notionum quae uni nomini insunt, ut librum *Λ* de principiis physicis et metaphysico. restant duo frusta *K* 1—8 et $\overline{\alpha}$ *ἔλαττον*: *K* 1—8 contracta disputatione alteram exhibet introductionem in primam philosophiam, quae libris *ΒΓΕ* comparari potest; ea quamquam *ὑπομνηματισαμένου τινὸς* esse potest, tamen Aristotelis philosophiam

omnino sequitur et Aristotelis ipsius voluntate, qui commentariolum istum inter sua volumina et commentaria heredibus reliquisse videtur, eam auctoritatem nacta esse potest, quam tum adepta esse debuit, cum in numerum Metaphysicorum librorum a posteris redacta est. certe ex libris *ΒΓΕ* is commentariolus non excerptus est, cum ea quae insunt multis modis discrepent, nova omnino introducantur, aliis de causis. α̅ ἔλαττον habendum est ὑπόμνημα, quod secundum scholas Aristotelis Pasicles quidam Boethi, Eudemi fratris, filius scripsit.

In dispositione vero et compositione Metaphysicorum neque ulla inest ars neque certus ordo nec structura artificiosa aut scopus unicus, ad quem in tanta scriptorum et disputationum varietate omnia dirigantur. testes sunt duplices illae recensiones, testis iteratio complurium capitum, testes capita, quae partim arbitrio partim casu in suam sedem pervenere. haec omnia non libri sunt perpoliti et ad unum finem tendentis, sed commentariorum magis consuetudinem redolent sive scholarum usum. quod quemadmodum accipiendum sit, non minima mihi videtur difficultas esse neque temere in hoc scholarum vocabulo acquiescendum est.

Quare his absolutis quaestionibus secunda parte de forma et condicione quam litterariam vulgo dicimus inquisivi; quo in genere orsus sum a disputatione de universis Aristotelis scriptis, quae πραγματεῖαι vocantur. nam quomodo aliis in libris edendis dividendis emendandis Aristoteles rem instituisset, si cognovissem, de Metaphysicorum editione, librorum divisione, toto statu facilius me quaesiturum esse sperabam. secundae partis autem haec fere erit summa. Metaphysica, quae quattuordecim libris continentur, ex scholis Aristotelis, quas habuit de prima philosophia, fluxisse apparet. quaeritur

autem, utrum *μίαν πραγματείαν* i. e. unum cursum scholarum in se perfectum an complures cursus metaphysicos effecerint. et cum cursus varios fuisse prima parte certo constet, verisimile est *ὑπομνήματα* singula in Metaphysicis inesse. *ὑπομνήματα* vero cum ad privatum usum condere antiqui solerent, Metaphysica videatur esse statuendum ab Aristotele nunquam edita, sed post eius obitum in publicum emissa esse. verum nil hoc nego vehementius. immo ita qui statuunt, Aristoteleorum librorum naturam omnino ignorant. scilicet *ἐκδόσεως* duo erant genera — neque enim omnes libelli in officinam *τῶν βιβλιογράφων* mittebantur — quorum alterum idque antiquius sola recitatione scriptorum continebatur. Aristoteles etsi *πραγματείας* suas publici iuris non fecit, tamen edidisse eas dicendus est, dum antiquum morem sequamur. quicquid ergo inter Aristotelis dialogos et *πραγματείας* diversitatis interest, non in hac re id collocatum est, quod illi editi, hae non editae erant, immo utrumque genus sola multitudine legentium distinguatur necesse est. nam cum dialogos cuilibet emere liceret, *πραγματεῖαι* nisi privatim inter discipulos philosophi, quibus ipse recitaverat, non vulgabantur.

Si Metaphysica quae dicimus quid sint omnino cognoscere avemus, a singulis disputationibus vel *μεθόδοις* proficiscendum est. *μέθοδος* autem est quae unam certamque partem *τῆς προκειμένης ἐπιστήμης* spectat et more dialectico omnibus ex partibus aggressa transigit. exceptis libris *ZH* et *α* — nam *K* 8, 1065 a 17 ad *K* 12 tanquam excerptum extremo libro neglegenter et incuriose additum praeterire possum — singuli Metaphysicorum libri singulas *μεθόδους* exhibent, id quod vel obiter spectanti clarum sit necesse est, cum nulla particula aut coniunctione singuli inter se libri ut mos erat

illi aetati conglutinati sint. imprimis autem librorum ipsa enarratione hanc sententiam comprobavi. $\overline{\alpha}$ libellus qua est exilitate sui iuris esse non potuit; *ZH* libri simul unam μέθοδον conformare videntur. quod vero disputationum singularum fines cum librorum i. e. voluminum finibus tam accurate congruunt, cum volumina ipsa ea re admodum diversa magnitudine evadant, librorum divisionem priscam formam retinuisse et inde ab Aristotelis temporibus anxie religioseque servatam fuisse, neque unquam philologorum seu librariorum arbitrio et utilitate immutatam esse, velut apud Thucydidem et Platonem factum esse patet, facile intellegimus. immo omnino nulla prorsus librorum divisio agnosci potest, cum ne unitas quidem vel comprehensio πραγματείας appareat. nam divisionem factam esse si statuimus, necesse erat antea aliquid suppeditare, dividi quod posset. quod cum negamus, negamus etiam divisionem librorum. non divisionem corporis integri, sed compositionem librorum singulorum institutam esse profitendum est. ne multa — unum nomen τῶν μετὰ τὰ φυσικά obtestor, quod non scientiae unius notionem, sed scriptorum variorum congestum significat. unum tantum in Metaphysicis divisionis exemplum reperitur, cum illa de substantia disputatio in duos libros *ZH* dirempta sit. ceterum singulae singulis voluminibus disputationes continebantur.

Verum tamen illae disputationes quamquam in Aristotelis certe mente unum corpus efficiebant, ita ut uno nomine comprehendi possent, in unam tamen seriem continuam post mortem demum Aristotelis congestae videntur esse neque tum statim omnes quas habemus quattuordecim collatae esse possunt. nam hunc Metaphysicorum canonem primo saeculo a. Chr. n. vulgatum esse satis luculente demonstrasse mihi

videor, cum antea decem librorum collectio circumferretur. ea aetate Aristotelis Metaphysica nondum pro uno opere continuo habita esse tametsi docui, tamen pedetentim, ut volumina in codices transscribi coepta sunt, barbara illa opinio Aristoteleque indigna percrebruit. iamque breviter enarratione maioris dissertationis facta ad emendationum Aristotelearum specimen tanquam prolusionem proferendum accingor.

Emendandi textus Aristotelici quae sit difficultas cum ii viri docti, qui ante hos quinquaginta fere annos coniecturarum turba corpus illud totum interpolaverant, tum Bonitzius et Vahlenus lenioribus sane curis ac medelis clarissime illustrarunt, qui tumultuariis manibus istius turbae philosophum exemerunt atque manes divi viri depravationibus illis inritatos summa cum pietate placaverunt. sed concesserit forsitan is qui penitus rem noverit, idque vel ipso consentiente fortasse Vahleno, ex illa aetate, qua huius poetica singulaque de singulis Aristotelis scriptis opuscula in pulverem atque solem prodiere, artis criticae in illo scriptore exercendae condicionem immutatam et iter eius inclinatum et quasi omnino reflexum esse. immo quo acrius in Platonem philologorum exardescebant studia, quo graviorem eius operibus operam impendebant, eo segniores ac remissiores facti sunt ad Aristotelis integritatem recuperandam. neque, quod haud scio an occupando mihi obicias, ipsae fere editiones Teubnerianae per proxima decennia curatae eae haberi possunt, quibus hoc iudicium magnopere labefactetur. quae quamvis textum pro statu Bekkerianae editionis emendatiorem nobis praestiterint, nihilo secius codices denuo largiusque recensendo quam locos impeditos sanando Bekkerum vincere maluerunt. quod studium emendandi cum omnibus inde ab antiquitate saeculis floruerit et optima quaeque diu inventa esse consentaneum sit, nihil opprobrii illo meo iudicio contineri liquet.

ut in Lucretio Avancius atque Marullus amoenissimos emendationum flores decerpserunt, recensendi munus paene integrum Lachmanno reliquerunt. neque alia intercedit ratio inter diversa Kirchhoffii et Nauckii in tragicos vel Bekkeri et Hermanni in Platonem merita.

Sed ne multa — satis habeo cum illos qui coniciendi aleam nuper subierunt excusare tum hoc quod ipse praeparo emendationis Aristoteleae periculum benevolentiae aequorum iudicum commendare. ergo singula coniecturarum specimina quae digna videantur in lucem prodeant eodem si dis placet ordine quo in buccam venient, cum quo distinguam non habeam. exordiar a nonnullis locis, qui leguntur in primae philosophiae disputationibus.

I.

Met. A 9, 992 b 1 clarissima in Platonis refutatione tale argumentum ab Aristotele protrahitur: *ἔτι δὲ τὴν ὑποκειμένην οὐσίαν ὡς ὕλην μαθηματικωτέραν ἄν τις ὑπολάβοι, καὶ μᾶλλον κατηγορεῖσθαι καὶ διαφορὰν εἶναι τῆς οὐσίας καὶ τῆς ὕλης ἢ ὕλην, οἷον τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν, ὥσπερ καὶ οἱ φυσιολόγοι φασὶ τὸ μανὸν καὶ τὸ πυκνόν, πρώτας τοῦ ὑποκειμένου φάσκοντες εἶναι διαφορὰς ταύτας· ταῦτα γάρ ἐστιν ὑπεροχή τις καὶ ἔλλειψις.*

περί τε κινήσεως, εἰ μὲν ἔσται ταῦτα κίνησις, δῆλον ὅτι κινήσεται τὰ εἴδη· εἰ δὲ μή, πόθεν ἦλθεν; ὅλη γὰρ ἡ περὶ φύσεως ἀνῄρηται σκέψις.

Hic locus primum dissecandus videtur esse in duo argumenta, quorum utrumque idearum doctrinam impugnat. alterum inde a verbis *περί τε κινήσεως* ordiri et in promptu est et interpretando evincemus. verum cum haec omnis

oratio ab interpretibus falsissime in unum conecti soleat, quorum vestigia novissimus quoque Metaphysicorum candidus interpres Adolfus Lasson versione Jenae 1907 anno emissa premit (cf. Lasson l. c. p. 33), ad alterum argumentum aggressuros etiam priorem partem illustrare oportebit. Platonicorum materiam Stagirita dicit nimis ad mathematicorum speciem atque exemplar fictam et statutam esse, quod idem paulo ante his verbis vituperavit: *ἀλλὰ γέγονε τὰ μαθήματα τοῖς νῦν ἡ φιλοσοφία*, inquit 992 a 32, *φασκόντων τῶν ἄλλων χάριν αὐτὰ δεῖν πραγματεύεσθαι.* Platonis enim secta *τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν* materiam et tanquam primordia rerum constituerat, quas Aristoteles potius differentias dicit esse, quae in materia reperiantur, vel attributa quaedam, quae de ea praedicentur. exempla affert alias eius modi differentias materiae et rerum ipsarum, quibus iam priscae sapientiae inventores physiologi usi sint, *τὸ μανόν* et *τὸ πυκνόν;* quibus iam Anaximenes Milesius magnitudinis rerum vel densitatis varietates complectebatur, quas Aristoteles dicit *τοῦ ὑποκειμένου τὰς πρώτας διαφοράς.* obscurior iam sequitur sententia: *ταῦτα γάρ ἐστιν ὑπεροχή τις καὶ ἔλλειψις.* quae dicuntur *ταῦτα*? sed cum totam hanc sententiam antecedenti rationem addere appareat, non est quod dubitemus: dicit enim propter id ipsum se *τὸ μέγα* et *τὸ μικρόν* Platonis cum *τῷ μανῷ* et *τῷ πυκνῷ* physiologorum contulisse, quia utraeque essent materiae differentiae. singulas vero materiae differentias Aristoteles et hic et alibi declarat sub unum idque summum differentiarum genus cadere, *ὑπεροχὴν καὶ ἔλλειψιν.*

Ut met. H 2, 1042 b 25 postquam cunctas *τοῦ ποσοῦ* differentias enumeravit, denique omnes his verbis complectitur: *καὶ ὅλως τὰ μὲν ὑπεροχῇ τὰ δ' ἐλλείψει* et iterum 1042 b

34: *οἷον τὰ τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον ἢ πυκνῷ καὶ μανῷ καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς τοιούτοις· πάντα γὰρ ταῦτα ὑπεροχῇ καὶ ἐλλείψει ἐστίν.* sic etiam loco quem tractamus *τις* aptissime inseritur ita ut hunc in modum vertendum sit: *Denn diese sind Arten des Mehr oder Minder,* ubi minus clare Bonitzius dicit *Ueberschuss* et *Mangel.* liberius ac fortasse contra ipsius sententiam vertit Lasson meus: *Auch dies bedeutet ein Hinausgehen über und ein Zurückbleiben hinter dem Mass.* namque de „modo" quodam absoluto et certo prorsus non dicitur eo loco, cum potius *ὑπεροχὴ καὶ ἔλλειψις* mutuam relationem, non relationem ad certum quendam modum indicent. quod clarius sole elucebit comparato loco met. N 1, 1087 b 12, ubi legimus: *ἀλλὰ μὴν καὶ τὰς ἀρχὰς ἃς (οἱ Πλατωνικοὶ) στοιχεῖα καλοῦσιν, οὐ καλῶς ἀποδιδόασιν, οἱ μὲν τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν λέγοντες μετὰ τοῦ ἑνὸς τρία ταῦτα στοιχεῖα τῶν ἀριθμῶν, τὰ μὲν δύο ὕλην, τὸ δ' ἓν τὴν μορφήν, οἱ δὲ τὸ πολὺ καὶ ὀλίγον, ὅτι τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν μεγέθους οἰκειότερα τὴν φύσιν, οἱ δὲ τὸ καθόλου μᾶλλον ἐπὶ τούτων τὸ ὑπερέχον καὶ τὸ ὑπερεχόμενον.*

Etiam hoc loco opponuntur inter sese *τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν, τὸ πολὺ καὶ ὀλίγον,* denique *τὸ ὑπερέχον καὶ τὸ ὑπερεχόμενον,* quae vocantur *καθόλου μᾶλλον.* sequitur *ὑπερέχον* et *ὑπερεχόμενον* (vel *ἔλλειψιν*) notiones esse latius patentes, at angustiores et tanquam species earum *τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν.* simul etiam quod non dicitur *ὑπερέχον καὶ ἐλλεῖπον,* verum potius *καὶ ὑπερεχόμενον,* eas duas notiones nisi invicem referri non oportere, minime autem ad certum quendam modum revocandas esse facile intellegitur. quis enim esset modus *μανώσεως* vel *πυκνώσεως* certe stabilitus atque

constitutus? iam plura addamus exempla ad interpretationem loci sanandam cum necesse non sit, reliqua ordiamur.

Nam in proxima sententia non tam facile impeditae lectioni medela adhibetur. cod. E post *περί* praebet *τε*, A[b] *δέ*. Christius duce Bekkero *τε* in textu reposuit, nimirum quia sic sententiam et totum argumentum cum iis quae antecedunt etiam extrinsecus artius coniunctum volebat. nam *ταῦτα* nisi ad *ταῦτα* praecedentis enuntiati referri nequibat, quod cum ipsum ad *τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν* et *τὸ μανὸν καὶ τὸ πυκνόν* referretur, sic vertebatur: *Und was die Bewegung anbetrifft, so müssten, wenn dies, das Grosse und Kleine, Bewegung sein soll, die Ideen sich offenbar bewegen.* et profecto non modo Bonitzius, sed etiam novissimus Lasson ita locum intellexere, quamquam ipsa prima verba *περί τε κινήσεως* auctorem novam ratiocinationem inire clarissime indicant, qua profectus a motus notione ideas refellere conatur.

Sed ne temere hariolemur, primum anquiramus ecquid veri his verbis insit numque re vera Plato *τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν* motum esse statuerit. quod ne verbo quidem memoria traditum esse facile concesseris. nec vero ea sententia cum Platonis ratione et consilio congruere et consentire videtur. nam qui *τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν* materiem numerorum idearumque esse diceret, quomodo is eadem elementa motum ipsum dicere poterat? *κίνησις* enim est motus finitus et re vera existens, materia nil habet certi aut finiti; immo materia ita non est motus, ut vel ipsa potius motionis indigeat et extrinsecus moveri eam necesse sit. quare Zellerus ut hoc se nodo exsolveret, verborum totam vim contorsit cum scripsit (Phil. d. Gr. II 2^3 300 ubi hausit ex loco quem tractamus): „*Denn wenn das Grosse und Kleine die Bewegung*

hervorbrächten, müssten ja die Ideen, deren Stoff es ist gleichfalls bewegt sein.“ sed magnum parvumque gignere motum neque Aristoteles illis verbis intellegi voluit, cum dicat potius *ἔσται ταῦτα κίνησις* non vero *γενήσεται ἐκ τούτων ἡ κίνησις*, neque prorsus de Platonis esse potest sententia, qui quid de materia senserit dilucide his Timaei verbis exposuit (50 B—C): *ἐκ γὰρ τῆς ἑαυτῆς τὸ παράπαν οὐκ ἐξίσταται δυνάμεως· δέχεταί τε γὰρ ἀεὶ τὰ πάντα καὶ μορφὴν οὐδεμίαν ποτὲ οὐδενὶ τῶν εἰσιόντων ὁμοίαν εἴληφεν οὐδαμῇ οὐδαμῶς· ἐκμαγεῖον γὰρ φύσει παντὶ κεῖται, κινούμενόν τε καὶ διασχηματιζόμενον ὑπὸ τῶν εἰσιόντων κτλ. τὰ δὲ εἰσιόντα καὶ ἐξιόντα τῶν ὄντων ἀεὶ μιμήματα, τυπωθέντα ἀπ' αὐτῶν* (sc. *τῶν ὄντων*). apparet Platonem non gignere motum, sed ipsam cum maxime moveri extrinsecus materiam fingere. sed non est opus hoc loco, cum materiam non esse motum, sed moveri vel movendi facultatem esse satis constet. qua de causa etiam Zelleri sententia abicienda est, ut qui non modo *ἔσται κίνησις* commutaverit cum *ἔσται αἰτία τῆς κινήσεως* vel *ἔσται αἰτία ὡς ὅθεν ἡ κίνησις*, quae captiosa ac fallax interpretandi ratio textu nullo modo comprobatur, verum etiam leviore illa quam veriore commutatione multo magis ea verba a vera Platonis sententia abalienaverit.

At si locum impeditum verbotenus reddimus velut Lasson fecit, ita se habet ut vertebam supra: *Wenn das Grosse und Kleine Bewegung sein sollen, so müssen sich die Ideen offenbar bewegen.* id quod absurdum esset Platonis sectatori contendere. ceterum velim reminiscare *ταῦτα* non solum ad *τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν*, sed etiam ad *τὸ μανὸν καὶ τὸ πυκνόν* referri, adeo ut rectius vertendum sit: *Wenn das Grosse und das Kleine sowie das Weiche und das Feste Bewegung sein*

sollen, dann müssten die Ideen sich offenbar bewegen. sed forsitan maioribus verborum ambagibus non opus sit ad illustrandum, quam non integra lectio sit, cum et protasis in se absurda sit et tota ratiocinatio claudicet. et cum de κίνησις verbo et de ἔσται nihil mutari possit, sedem corruptionis in ταῦτα locatam censeo. quod si nostra argumentatione secludimus, procul dubio hoc manet argumentum integrum atque dilucidum: si motus erit, moveantur etiam ideae necesse est. ad ideas autem motus cur referatur, quis est quin sciat, quippe quae sint omnium rerum atque eventuum causae et aeterna exempla. quamobrem retro converso argumentandi ordine sic concludendum est: si ideae moventur, quid hoc valet ad rerum naturam perspiciendam? videlicet etiam in terris existere motum moverique τὰ μιμήματα necesse erit. tale quid igitur in ταῦτα latitare conicimus. ut ideae, ita τὰ μιμήματα; terrena aeternorum modum et rationem imitantur. scribendum erit igitur procul dubio εἰ μὲν ἔσται ἐνταῦθα κίνησις, δῆλον ὅτι κινήσεται τὰ εἴδη, h. e. *soll es hienieden Bewegung geben, so müssten offenbar die Ideen sich bewegen.* quod cum pugnet cum Platonis gravissima atque summa de ideis doctrina eamque vel funditus obruat, aut ideae abiciendae aut omnis motus ex mundo cum Parmenide demendus erit. ita Aristoteles ex utraque parte praecluso effugio adversarii de ideis doctrinam refellit, cum motum non esse iam nemo contendere contra omnium hominum experientiam audeat. ἐνταῦθα vel τὰ ἐνταῦθα (scil. πράγματα) semper τοῖς ἐκεῖ, τοῖς εἴδεσι, τοῖς θειοτέροις σώμασι opponi ab Aristotele non est cur moneam, sed videantur hi loci met. A 9, 990 b 34, A 9, 991 b 13 in eadem hac idearum refutatione, prae-

terea B 6, 1002 b 17, M 4, 1079 a 31 iterum in refutatione idearum, de caelo A 2, 269 a 31, 269 b 16, A 8, 276 a 27.

Emendatio nostra etiam praeclarius evincitur proximis verbis 992 b 8: *εἰ δὲ μή* (scil. *κινήσεται τὰ εἴδη*), *πόθεν ἦλθεν* (scil. *ἡ ἐνταῦθα κίνησις*); *ὅλη γὰρ ἡ περὶ φύσεως ἀνῄρηται σκέψις*. sin pro *τῇ ἐνταῦθα κινήσει* supponitur *τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν*, absurda fit tota argumentatio. nam si materia est motus ipse et ex materia i. e. ex motu ipso ideae generantur, at ideae moveri ipsae nequeunt, non erat quaerendum *πόθεν ἦλθεν ἡ κίνησις* i. e. *τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν*, sed quomodo fieret, ut ex motu ipso sive mota materia generarentur immobiles ideae. at si supponitur *πόθεν ἦλθεν ἡ ἐνταῦθα κίνησις*, omnia omnibus sunt numeris absoluta. nam si physica est de motu et rebus motis, in mundo visibili quae cernuntur, omnis vero eventus in natura rerum pendet ex ideis, quomodo motus existere potest, quandoquidem ideae ipsae motu egent? *ὅλη γὰρ ἡ περὶ φύσεως ἀνῄρηται σκέψις*. quam sententiam quemadmodum intellegant ii qui *ταῦτα τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν* esse contendunt, ipsi videant.

Tertium denique emendationi nostrae praesidium ex iis repetamus fontibus, unde tam saepe iam medicina afflictis Aristotelis locis refluxit, commentarios dico antiquos, e quibus unus Asclepii ita scribit (105,23 Hayduck): *ἑτέρα ἀντιλογία πρὸς τὰς ἰδέας· καί φησιν ὅτι ἀκίνητοι ὑπάρχουσιν αἱ ἰδέαι ἢ κινοῦνται· εἰ μὲν γὰρ ἐν κινήσει ὑπάρχουσι τὰ εἴδη* (sc. *τὰ φυσικά* cf. p. 397, 18) *φανερὸν ὅτι καὶ αἱ ἰδέαι κινηθήσονται· καθ' ὁμοιότητα γὰρ τῶν ἰδεῶν βούλονται εἶναι τὰ ἐνταῦθα. εἰ δὲ μὴ κινοῦνται αἱ ἰδέαι, πόθεν γέγονεν ἐνταῦθα ἡ κίνησις; εἰ γὰρ αἱ ἀρχαὶ ἀκίνητοι, φανερὸν ὅτι καὶ τὰ ἐκ τῶν ἀρχῶν, καὶ οὕτως ἔσται ἀκινησία ἐν τοῖς*

οὖσι· καὶ οὕτως ἀναιρεθήσεται πᾶσα ἡ φυσικὴ θεωρία: sequitur nisi ipse Asclepius ἐνταῦθα legit in exemplari suo, quod propter lemma minus veri simile videtur, eum hanc interpretationem ex Ammonii scholis accepisse. cum vero Ammonius lectionem ἐνταῦθα non dicat e suopte fluxisse ingenio, sed tanquam memoria traditam interpretari videatur, Ammonium in aliquo exemplari ἐνταῦθα legisse puto, Asclepium autem, quod saepius accidit, non vidisse lemma suum cum iis, quae ex scholis Ammonii exscripserat, non consentire. ergo etiam tunc in codicibus nonnullis nescio an ἐνταῦθα extiterit. et quod Asclepius 105,24 verbo ὑπάρχουσιν circumscripsit ἔσται Aristotelis quodque in lemmate extat ἔστι, apparet eum non ἔσται, verum ἔστι legisse, ita ut ἔστ' ἐνταῦθα pro ἔσται ταῦτα emendandum sit.

Verum enim vero, περί τε κινήσεως verba novum introducunt contra Platonem argumentum adeo ut pro τε, quod praebet E, malim δέ ex A^b reponere. ad totam loci rationem confer similem 991 a 9, ubi idea ad cognitionem sensibilium rerum eorumque motionis nihil valere dicitur.

Reliquum est ut moneam, quam non recte philologorum artis et imprimis artis criticae contemptores statuant, qui tam parvis magna perpetrari nequire rati suopte indulgere ingenio quam verborum minutiis curam impendere malunt. exemplo sit locus quem in Natorpii incluto libro invenio qui inscribitur „*Platos Ideenlehre*" — quamquam non Natorpium ipsum dico contemptorem, sed pro exemplo rationis esse iubeo — ubi ita legimus p. 409: „*Der Haupttadel aber bleibt, die Ideenlehre erkläre nicht die Veränderung. Die Materie soll den Grund der Veränderlichkeit enthalten; nun sollen doch die Ideen selbst erst hervorgehen durch Bestim-*

mung des Bestimmungslosen, also müssten auch sie an der Veränderlichkeit teilnehmen. Wenn nicht, woher käme überhaupt die Veränderung? Ohne diese wäre aber die ganze Naturwissenschaft aufgehoben.“ — haec omnis oratio in loci emendati auctoritate posita est. primum falso pro κίνησις ponit μεταβολήν, quae hoc ipso loco non intellegitur, quamvis clare paulo ante commemoretur. tum ἔσται κίνησις falso cum Zellero vertit „*soll den Grund der Veränderlichkeit enthalten*“, praeterquam quod pro *Bewegung* reponit *Veränderlichkeit*, ut verum et re vera existentem motum ideis tanquam meris cogitationibus abrogare possit. deinde „*nun sollen doch die Ideen selbst erst hervorgehen durch Bestimmung des Bestimmungslosen*“ nimium ingenio suo indulgens homo doctissimus mire affingit, ut propositionem minorem ad suam conclusionem faciendam subministret. deinceps quod dicit „*also müssen auch sie an der Veränderlichkeit teilnehmen*“, errat vehementer, immo κινήσεται τὰ εἴδη i e. movebuntur ideae, velut res sensibiles moventur. denique quod dicit, „*wenn nicht, woher käme die Veränderung?*“ nescio equidem unde subito supplendum esse divinetur *die Veränderung*, scilicet *in der sichtbaren Natur* vel ut cum Platone loquar τὴν τῇδε vel τὴν ἐνταῦθα? nam de ea omnino nondum mentio inciderat. totam Platonis philosophiam ille vir doctus contorsit, ne dicam sustulit, ut unius loci corruptelam tueretur.

Habes quae quanta quanto mentis acumine figmenta viri docti excogitaverint ad ea quae conecti nullo pacto poterant. verum haec omnia falso, immo perverse statuuntur et creduntur[1].

---

1. Postquam haec ordini tradidi, de Heidelii adnotatione Herm.

II.

Met. Z 8, 1033 b 16 Aristoteles postquam compluribus exemplis ex arte haustis, quid quaque in re vel potius substantia mortale esset, quid non esset, exposuit, eius disputationis summam his verbis complectitur: φανερὸν δὴ ἐκ τῶν εἰρημένων ὅτι τὸ μὲν ὡς εἶδος ἢ οὐσία λεγόμενον οὐ γίγνεται, ἡ δὲ σύνοδος ἡ κατὰ ταύτην λεγομένη γίγνεται, καὶ ἐν παντὶ τῷ γιγνομένῳ ὕλη ἔνεστι. primum eum locum vertamus latine, dein accuratius in eum inquiramus.

„Manifestum igitur ex iis quae exposuimus id, quod tanquam forma seu substantia rei nominatur, non fieri, at gigni coitum, qui ex illa appellatur, et in omni, quod gignitur, inesse materiam“.

De conventu vel συνόδῳ quid Aristoteles doceat, cuilibet gnaro eius philosophiae primae in dubio esse non potest, cum statim philosophum eo verbo rem e forma et materia concretam significare intellegatur. sed mirum in modum philosophus ludibundus animo indulsisse videretur, si re vera tertium illud substantiae genus formae ac materiae coniunctione procreatum διὰ μεταφορᾶς coitum nuncupavisset. iudicabis, hercle, locum vix posse sanum esse.

Verum priusquam aliquid certi statuamus, videamus de συνόδου vocabulo apud antiquiores philosophos Graecos. Dielesius locos, ubi ea vox apud illos occurrit, in Doxogr. 821 et Fragm. d. Vorsokr. II 2, 578,12 diligenter congessit,

---

43, 170 monitus sum, quocum ita facio, ut argumentum ex Asclepio repetitum accipiam; quod vero ταῦτα apud Aristotelem secludit, qua re totum loco acumen demitur et ἀντίθεσις elegans tollitur, eo magis in mea emendatione persevero.

quibus ex locis saepissime *σύνοδον* apud eos significavisse astrorum coniunctionem facile cognoscitur: velut apud Pythagoreos (Vorsokr. 278,3 et Doxogr. 360 a 7, 360 b 10), apud Anaxagoram et Democritum (Vorsokr. 308,37, Doxogr. 366 a13, b14). quibus locis semper externarum rerum congressum *σύνοδος* significat. concreta vero etiam duobus aliis locis congredi dicuntur, velut apud Empedoclem (Vorsokr. 178,1) habemus *τὴν μὲν γὰρ* (scil. *τὴν τῶν θνητῶν πραγμάτων γένεσιν*) *πάντων σύνοδος τίκτει τ'ὀλέκει τε* et apud Leucippum (Vorsokr. 347,28) *ὅσα δὲ μικρὰ καὶ περιφερῆ καὶ λεῖα καὶ εὐόλισθα, ταῦτα καὶ ἐξεθλίβετο κατὰ τὴν σύνοδον τῶν ἀτόμων.* nusquam ergo abstractae notionis cum re concreta sive alterius abstractae notionis cum altera coniunctio *σύνοδος* vocatur apud physiologos antiquos.

Iam ad ipsum Aristotelem veniendum est, qui in physicis scriptis eundem illum usum retinuit et propagavit (locos contulit Bonitzius ind. Arist. 731 b 25). qui in meteor. A 6,343 b 30 et de generat. animal. B 4, 738 a 20 et a 22 *σύνοδον* astronomicam illam intellegit; tum nonnullis aliis locis in libris de animalibus scriptis coitum vulgato usu dicit *σύνοδον*, aliis *σύλλογον* intellegi volt. deinde uno loco et ipso physico (de somno 3,457 b 1) *σύνοδον* vocat quam nos alieno vocabulo dicimus „Konzentration“: *ὁ ὕπνος ἐστὶ σύνοδός τις τοῦ θερμοῦ εἴσω.* unicus hic est Metaphysicorum locus, de quo maxime agimus, ubi *ὕλη* i. e. potentiae notio et *εἶδος* i. e. actus notio convenire dicuntur. atque in hanc ipsam rem propter raritatem eius significationis nobis inquirendum est. sed hoc statim statuere licet, ubivis *σύνοδον* esse actionem, nusquam substantiam seu id genus quicquam. quoniam autem Aristotelis in physicis consuetudinem persecuti sumus, iam

de ea re et de Aristotelis in ea dicendi usu agemus, quam Metaphysicorum loco significari iam pridem perspexeramus. tria enim distinguere ei mos est momenta in rebus gignundis, primum formam seu notionem rei, quae definitione continetur, tum materiam, quae omnibus caret determinationibus, denique tertium illud commune procreatum ex materia, quae forma ac notione determinata est. hoc *τὸ σύνολον* apud Aristotelem appellatur sive *ἡ σύνολος οὐσία.* nam ea est philosophi sententia, *οὐσίας* vocem multiplici significatione usurpari. *οὐσία* dicitur vel mera forma vel formatum illud ex materia, sed ita ut altera haec significatio ex illa fluxerit, quod ipse his dicit verbis met. Z 11, 1037 a 29: *ἡ οὐσία γάρ ἐστι τὸ εἶδος τὸ ἐνόν, ἐξ οὗ καὶ τῆς ὕλης ἡ σύνολος λέγεται οὐσία.* subiectum sententiae secundariae est *τῆς ὕλης ἡ σύνολος*, praedicatum *λέγεται. ἡ σύνολος* quasi substantivum poni videtur, ita tamen ut ex praecedenti sententia primaria *οὐσία* facile cogitando suppleri possit. eundem in modum accipienda est *ἡ σύνολος* 1037 a 26: *οὐδὲ γάρ ἐστιν ἐκείνης μόρια τῆς οὐσίας ἀλλὰ τῆς συνόλου. τῆς ὕλης ἡ σύνολος* eadem est quae *ἡ συνειλημμένη τῇ ὕλῃ* infra 1035 a 28 et a 34, quam etiam *τὸ σύνολον* appellat. cuius definitionem vide met. B 1, 995 b 35 et 999 a 33: *λέγω δὲ σύνολον ὅταν κατηγορηθῇ τι τῆς ὕλης.* confer praeterea 1035 b 15 sqq. passim.

Duobus locis quos supra citavimus *ἡ σύνολος* (scil. *οὐσία*) legitur. nec nihil valet ad nostrum locum sarciendum, quod proclivi errore etiam illis duobus locis partim *σύνολος* partim *σύνοδος* memoria traditur. ut 1037 a 26 codices optimi *συνόλης*, T unus *συνόλου* praebet, at Alexander *συνόδου* legisse videtur. iam supersedentes quid de forma *συνόλης* iudicandum sit quaerere, alterum inspiciamus locum

1037 a 30, ubi Parisinus E cum Alexandro *σύνολος*, A^b solus *σύνοδος* tradidit. iamque non est cur editores diutius foeda *τῆς συνόδου* imagine lectorem ultro ludificentur, cum procul dubio legendum sit 1033 b 16: *ἡ δὲ σύνολος ἡ κατὰ ταύτην λεγομένη γίγνεται.* etiam hic velut duobus reliquis locis ex iis, quae praecedunt, *οὐσία* ad *σύνολος* cogitando supplendum est.

III.

Quoniam de *τοῦ συνόλου* notione agitur, apte de alia notione, quae eandem vim habet, disputatiuncula adicitur, dico *τὸ συνειλημμένον τῇ ὕλῃ* i. e. coniunctum cum materia. met. Z 10, 1035 a 17 sqq. sic scriptum videmus: *καὶ γὰρ ἡ γραμμὴ οὐκ, εἰ διαιρουμένη εἰς τὰ ἡμίση φθείρεται ἢ ὁ ἄνθρωπος εἰς τὰ ὀστᾶ καὶ νεῦρα καὶ σάρκας, διὰ τοῦτο καὶ εἰσὶν ἐκ τούτων οὕτως ὡς ὄντων τῆς οὐσίας μερῶν, ἀλλ' ὡς ἐξ ὕλης, καὶ τοῦ μὲν συνόλου μέρη, τοῦ εἴδους δὲ καὶ οὗ ὁ λόγος οὐκέτι· διόπερ οὐδ' ἐν τοῖς λόγοις. τῶν μὲν οὖν ἐνέσται ὁ τῶν τοιούτων μερῶν λόγος, τῶν δ' οὐ δεῖ ἐνεῖναι, ἐὰν μὴ ᾖ τοῦ συνειλημμένου.*

Priusquam locum vertamus, praemittendum est, quid Aristoteles antea exposuerit. agebatur de ea ratione, quae intercederet inter partes definitionis et partes rei ipsius, cuius esset definitio. primum philosophus utrum eaedem definitionis partes quae rei statuendae essent necne quaesivit, quam quaestionem ita sibi solvisse videtur, ut definitionis partes cum partibus formae quidem ac notionis congruant, cum rei concretae partibus non congruant. tametsi linea mathematica divisa in duas partes vel corpus humanum dissectum in manus pedes caput

nervos alias partes necessario pereunt, tamen eae partes non tam ad substantiam eorum quam ad materiam attinere iudicandae sunt. quamobrem in definitione hoc partium materialium genus minime continebitur. iam locum in vernaculam linguam vertam: *Denn wenn auch die Linie, sobald man sie in die Hälften, oder der Mensch, wenn man ihn in Knochen, Sehnen, Muskeln zerlegt, zugrundegehen, so bestehen sie deshalb doch nicht aus diesen in dem Sinne, als wären es Teile ihrer Substanz, sondern nur als aus ihren materiellen Bestandteilen; es sind mithin Teile des konkreten Dinges, hingegen nicht mehr solche der Form und des begrifflichen Wesens. Deswegen kommen sie auch nicht in den Definitionen (der letzteren) vor* (quatenus definitio καθ' αὑτήν i. e. ut definitio formae consideratur, non vero κατὰ συμβεβηκός i. e. ut definitio rei concretae). *So muss denn die Bezeichnung solcher (materiellen) Bestandteile (in der Definition) der einen (der konkreten Dinge) vorkommen, (in der Definition) der anderen dürfen sie nicht vorkommen* (scilicet in definitione formae).

De reliquis verbis ἐὰν μὴ ᾖ τοῦ συνειλημμένου habeo cur taceam. neque enim adhuc recte mihi intellecta esse neque omnino retineri posse videntur[1]. τῶν δ' οὐ δεῖ ἐνεῖναι (scilicet ἐν τῷ λόγῳ vel ἐν τῷ ὁρισμῷ id quod idem est) ἐὰν μὴ ᾖ τοῦ συνειλημμένου non aliter verti posse apparet nisi „*in der Definition der anderen, der Formen, dürfen sie nicht enthalten sein, es sei denn, dass sie Teile der Zusammensetzung sind.*" (non recte Lasson „*brauchen sie nicht*" vertit, quod iam Bonitz recte intellexerat et toto capite X certe refellitur.) sed totam sententiam sic ut vertimus pugnare manifestum est cum iis,

---

1. quae Bonitzius in comm. p. 333 tangit magis quam exponit, ad difficultatem tollendam non idonea puto esse.

quae Aristoteles hac omni distinctione partium formae et partium rei concretae assecuturus sibi videbatur. immo eo, quod sunt partes rei concretae, non pertinere ad definitionem formae neque recipiendas esse in eam apparet. at tamen etiam cum Lassonio equidem facere nequeo, qui vertat „*und zwar dann, wenn sie nicht Teile der Verbindung von Form und Materie sind*“. quod si recte scriberetur, supplendum foret: *sondern wenn sie Teïle der Form sind.* sed hoc non solum Aristotelem simplicius, si voluisset, dicturum fuisse veri simile est, verum etiam cum sententia Aristotelis omnino pugnat. nam si re vera sunt formae, non rei concretae partes, inesse debent definitioni, non contra. verum enim vero *οὐ δεῖ ἐνεῖναι ἐὰν μὴ ᾖ τοῦ συνειλημμένου* nil significare potest nisi, ut supra monebam, „*sie dürfen nicht . . ., es sei denn, dass . . .*“ quod absurdum esse ostendi.

At occupet quispiam: cur tu *μέρη* supplere pergis, cum mihi *λόγος* magis placeat, ut cuius mentio haud longe antea inciderit? sed non is *λόγος*, qui coniungitur cum *ὁ τοιούτων μερῶν*, sed ille, qui ad *τῶν μέν . . . τῶν δέ* supplendus est ex antecedentibus verbis *ἐν τοῖς λόγοις*. eadem, hercle, manet difficultas. nam omne distinctioni acumen dematur, cum dicas: *In der Definition der Zusammensetzung müssen diese Teile enthalten sein, in derjenigen der Form dürfen sie hingegen nicht enthalten sein, es sei denn, dass es die Definition des Zusammengesetzten ist.* hoc stolidum, immo perversum addi nemo non videt.

Ita verba *ἐάν — συνειλημμένου*, quippe quae cum universa sententia nullo pacto coniungi possint, in suspicionem veniunt. quam auctam mihi fateor miro quodam usu verbi *τοῦ συνειλημμένου*. pro *τὸ σύνολον* vel *ἡ σύνολος οὐσία* saepius *τὸ συνει-*

λημμένον τῇ ὕλῃ, τῷ δεκτικῷ, μετὰ τῆς ὕλης apud Aristotelem invenitur. sed statim perlustratis illis locis philosophum nunquam — uno loco excepto — sine *τῇ ὕλῃ* vel alio eius modi additamento verbum *συνειλημμένον* usurpavisse elucet. hoc autem loco eo minus sine *τῇ ὕλῃ* poni poterat, quod hoc toto libro nondum lectum est et per se minime perspici potest. at met. Z 11, 1036 a 27 quoniam ter iam ante in proximo capite et saepius etiam *τὸ σύνολον* usurpatum est, facile intellegitur, quid sit *τὸ συνειλημμένον,* praesertim cum *τῷ εἴδει* opponatur. quod cum loco 1035 a 23 non contingat, nonne lector in voce *τοῦ συνειλημμένου* iure haesitabit, velut me ipsum, cum primum legerem, haesitasse memini? adde quod Aristoteles sententiam ita continuat: *ὅσα μὲν οὖν συνειλημμένα τὸ εἶδος καὶ ἡ ὕλη ἐστίν, οἷον τὸ σιμὸν ἢ ὁ χαλκοῦς κύκλος, ταῦτα μὲν κτλ.* ubi ad illustrandam vocem *τοῦ συνειλημμένου* non modo appositionem *τὸ εἶδος καὶ ἡ ὕλη* addit, verum etiam duo exempla, *τὸ σιμὸν καὶ τὸν χαλκοῦν κύκλον,* proponit, quo clarius hanc se notionem tanquam novam atque inauditam inducere doceret legentiumque vel audientium animos in eam converteret. quod met. E 1, 1025 b 32 eadem legitur notio, id nil curandum est nec quicquam valet ad hoc argumentum debilitandum, cum libros septimum et octavum segregatas olim fuisse disputationes in ea dissertationis parte, quam de Metaphysicis seorsum editurum me esse supra dixi, a me probatum sit. quibus de causis fateamur necesse esse verba *ἐὰν . . . συνειλημμένου* non ab ipso philosopho profecta esse.

Quod simulac statuerimus, interpretatio elegantissima praesto erit. nam aliquis qui postea ea verba legeret, cum distinctionem sagacissimam et subtilissimam *τῶν μὲν οὖν ἐνέσται ὁ τῶν τοιούτων μερῶν λόγος, τῶν δ'οὐ δεῖ ἐνεῖναι* minus intel-

lexisset, perlectis sequentibus enuntiationibus, quibus agitur de *τῷ συνειλημμένῳ τῇ ὕλῃ*, iam perspexit illam distinctionem perspectaeque in margine adiecit haec verba: *ἐὰν μὴ ᾖ τοῦ συνειλημμένου* scilicet *ὁ λόγος* h. e. *nämlich wenn die Definition nicht aufs Konkretum geht* (supple *sondern auf die Form*); tum enim re vera *οὐ δεῖ ἐνεῖναι ὁ τῶν τοιούτων μερῶν λόγος* (scil. *τῶν ὑλικῶν*). *μέρη* vero etiam sic supplere non possumus. quare verba *ἐὰν μὴ ᾖ τοῦ συνειλημμένου* e textu quasi interpretamentum eicienda esse censeo. denique locum in difficillimis et maxime impeditis numerandum puto omnium, qui in Metaphysicis leguntur.

IV.

Verum ne perpetuo in Metaphysicis commorati ceteros Aristotelis libros neglegamus, videndum est de duobus locis, quorum in Physicis alter, alter in libris De anima legitur quorumque uter gravius laboret dubium esse potest. cum in Physicis omnis orationis compages inde a l. B 2, 194 a 36 usque ad b 15 difficillima intellectu sit propter eorum verborum perturbationem, quibus duae artes, *αἱ ἄρχουσαι τῆς ὕλης καὶ αἱ γνωρίζουσαι*, distinguuntur et invicem commutantur, si totum hunc nodum cultro critico non admoto diremissem, interpretationi usui fore ratus verba inde ab 194 a 36 hic reddidi:

δύο δὴ αἱ ἄρχουσαι τῆς ὕλης καὶ αἱ γνωρίζουσαι τέχναι, ἥ τε χρωμένη καὶ τῆς ποιητικῆς ἡ ἀρχιτεκτονική. διὸ καὶ ἡ χρωμένη ἀρχιτεκτονική πως, διαφέρει δὲ ᾗ ἡ μὲν τοῦ εἴδους γνωριστική [ἡ ἀρχιτεκτονική] ἡ δὲ ὡς ποιητικὴ τῆς ὕλης· ὁ μὲν γὰρ κυβερνήτης ποῖόν τι τὸ εἶδος τοῦ πηδαλίου γνωρίζει καὶ ἐπι-

τάττει, ὃ δ' ἐκ ποίου ξύλου καὶ ποίων κινήσεων ἔσται. ἐν μὲν οὖν τοῖς κατὰ τέχνην ἡμεῖς ποιοῦμεν τὴν ὕλην τοῦ ἔργου ἕνεκα, ἐν δὲ τοῖς φυσικοῖς ὑπάρχει οὖσα. ἔτι τῶν πρός τι ἡ ὕλη· ἄλλῳ γὰρ εἴδει ἄλλη ὕλη. μέχρι δὴ πόσου τὸν φυσικὸν δεῖ εἰδέναι τὸ εἶδος καὶ τὸ τί ἐστιν; ἢ ὥσπερ ἰατρὸν νεῦρον ἢ χαλκέα χαλκὸν μέχρι του. τινὸς γὰρ ἕνεκα (*τίνος* legendum esse mihi constat) *ἕκαστον καὶ περὶ ταῦτα ἅ ἐστι χωριστὰ μὲν εἴδει, ἐν ὕλῃ δέ. ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ καὶ ἥλιος. πῶς δ' ἔχει τὸ χωριστὸν καὶ τὸ τί ἐστι, φιλοσοφίας τῆς πρώτης διορίσαι ἔργον.*

Aristoteles postquam naturam rerum *διχῶς* dici explanavit, *τὸ εἶδος καὶ τὴν ὕλην,* quaerit utrum illud magis an hanc alteram indagare pro physici vero munere habendum sit. ac siquis Empedoclem vel Democritum respexerit, materiam eiusque tenebras occultaque primordia perscrutari solum physico dignum esse contendat, ut qui nullam formae aut notionis rationem habuerint. at siquis contra artes magis humanas attendat, non modo materiae sed etiam formae oportere artificem notitiam nancisci concesserit. semper enim inter id quod certi finis causa fit, et finem ipsum esse dinoscendum, unde rursum spectantibus potius et de forma et de materia physico negotium esse videri agere. cf. a 27 *ἔτι τὸ οὗ ἕνεκα καὶ τὸ τέλος τῆς αὐτῆς καὶ ὅσα τούτων ἕνεκα. ἡ δὲ φύσις τέλος καὶ οὗ ἕνεκα. ὧν γὰρ συνεχοῦς τῆς κινήσεως οὔσης ἔστι τι τέλος τῆς κινήσεως, τοῦτο ἔσχατον καὶ τὸ οὗ ἕνεκα.* deest conclusio, quam ita cogitando recte suppleri puto: *ἔστιν ἄρα οὐ μόνον περὶ τῆς ὕλης, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ εἴδους καὶ τοῦ τέλους ἐπισκέψασθαι φυσικοῦ ἔργον.*

Verum ipso eo temporis momento aliud Aristoteli occurrit, dum poetam reminiscitur falso vitae finem i. e. mortem cum fine, qui est *τὸ οὗ ἕνεκα,* confudisse, quem quin vituperet

a se impetrare non potest. fortasse illa aetate ii non deerant, qui versui illi aliquid auctoritatis tribuerent. sed quocunque modo res se habet, equidem haec verba illustrare supersedeo, cum neque ad proferendum argumentationis gradum neque ad ea quae sequuntur intellegenda magni momenti sint.

Iam igitur regressus ad 194 a 30, ubi a recta philosophandi via deflexerat, philosophus sic pergit: *δύο δὴ αἱ ἄρχουσαι τῆς ὕλης καὶ αἱ γνωρίζουσαι τέχναι, ἥ τε χρωμένη καὶ τῆς ποιητικῆς ἡ ἀρχιτεκτονική. διὸ καὶ ἡ χρωμένη ἀρχιτεκτονική πως, διαφέρει δὲ ᾗ ἡ μὲν τοῦ εἴδους γνωριστική [ἡ ἀρχιτεκτονική] ἡ δὲ ὡς ποιητικὴ τῆς ὕλης. ὁ μὲν γὰρ κυβερνήτης ποῖόν τι τὸ εἶδος τοῦ πηδαλίου γνωρίζει καὶ ἐπιτάττει, ὁ δ' ἐκ ποίου ξύλου καὶ ποίων κινήσεων ἔσται.* sed facile intellexeris *δή* vocula initio huius orationis inserta tanquam recapitulationem instituí eamque indicare haud dubie recapitulationem totius praecedentis argumentationis inde a 914 a 21—30. cuius sententia hunc ad finem tendere videtur.

Physicam non modo materiam, sed etiam formam finemque materiae respicere necesse est. nam si artis exemplum sequare, duabus artibus ad rem aliquam hominis in usum procreandam opus est, quarum altera *ἡ γνωρίζουσα τέχνη* est, quae cognoscat, quid cui quem ad finem opus sit, velut gubernator navis gubernaculo sibi opus esse intellegit; altera *ἡ ἄρχουσα τῆς ὕλης*, quae praesideat materiae fabricandae velut is qui gubernaculum e ligno aedificat. quod exemplum usque ad 194 b 7 explicatur. sed cum Aristoteles harum artium ordinem ut solet saepius dicendo commutarit, sententia leviter perturbata est neque facile utra quibus verbis significetur dinoscitur. quare in duos ordines ita divisi:

1. *αἱ ἄρχουσαι τῆς ὕλης — αἱ γνωρίζουσαι* (scil. *τὸ τέλος*),

2. ἡ τῆς ποιητικῆς ἀρχιτεκτονική . . . ἡ χρωμένη, ἀρχιτεκτονική πως,

3. ἡ γνωριστικὴ ὡς ποιητικὴ τῆς ὕλης . . . ἡ τοῦ εἴδους γνωριστική [ἡ ἀρχιτεκτονική],

4. ὁ ἐκ ποίου ξύλου κτλ. ἔσται γνωρίζων . . . ὁ κυβερνήτης.

perturbatio eo maxime orta est, quod non eundem semper in enumerandis his artibus ordinem Aristoteles servavit et de utraque tanquam ἀρχιτεκτονικῇ dixit. adde quod ἡ ἀρχιτεκτονική post γνωριστική tanquam interpretamentum irrepsisse videtur, id quod Prantelius in sua editione Engelmanniana recte viderat, tametsi Bonitzii iudicio seductus [cf. Bonitzii Stud. Ar. I 240 (1862)] postea maluit scribere ἡ δὲ ἀρχιτεκτονικὴ ὡς ποιητικὴ τῆς ὕλης. apparet ἡ ἀρχιτεκτονική ex verbis ἀρχιτεκτονική πως provenisse, quae verba ei, qui dialectices Aristoteleae est imperitus, stuporem facere debent. quamobrem certe Prantelii coniectura prior contra ipsum retinenda est. quod autem Bonitzius contendit verbis ἡ ἀρχιτεκτονική seclusis verba ὡς ποιητικὴ τ. ὕλ. non habere quo referantur, sic intellege: ἡ δὲ (scil. γνωριστική ἐστι) ὡς ποιητικὴ τῆς ὕλης. denique naturam quod materiam non fabricetur, utpote quae sua sponte ei suppeditet, eo ab humana arte differre censet. efficitur duabus homines artibus ad quamlibet rem procreandam egere, altera, quae finem determinet, altera, quae materiam subministret et in formam redigat; naturam autem se ipsa ad omnes res gignundas esse contentam, quippe quae una sit artifex et gubernator, forma atque materies. eiusdem igitur disciplinae physicae erit, praesertim cum materia nisi relata ad formam certam et individuam cognosci non possit, et materiam et formam complecti: ambae ei quasi provinciae obvenient (cf. ἔτι — ἄλλη ὕλη b 8—9).

Quibus rebus cognitis summa toti capiti subicitur hac proposita quaestione: *μέχρι δὴ πόσον τὸν φυσικὸν δεῖ εἰδέναι τὸ εἶδος καὶ τὸ τί ἐστιν;* verum ad illam quaestionem auctor certum responsum non dedit, sed ut solet dubitanter, qui dialecticis mos est, quaestionem alteram adiungit: *ἢ ὥσπερ ἰατρὸν νεῦρον ἢ χαλκέα χαλκόν μέχρι του;* nos: *vielleicht muss er die Form und das Wesen nur bis zu einem bestimmten Grade kennen, wie ein Arzt die Sehnen oder ein Schmied das Erz?* tum persequitur *τίνος γὰρ ἕνεκα ἕκαστον καὶ περὶ ταῦτα* (scil. *δεῖ εἰδέναι τὸν φυσικόν*) *ἅ ἐστι χωριστὰ μὲν εἴδει, ἐν ὕλῃ δέ;* nos: *er muss nämlich den Zweck der Einzeldinge kennen und das, was zwar abtrennbar ist dem Begriffe nach, aber doch mit Materie verbunden.*

Quod *τίνος γὰρ ἕνεκα*, scripsi pro *τινὸς γὰρ ἕνεκα* cum Simplicio facio, qui hanc praebet lectionem (cf. Simplicius comm. in Aristot. phys. I 306, 23 sqq. Diels). neque enim aliud quicquam suppleri potest nisi *δεῖ εἰδέναι;* quod si supples, fieri non potest, quin *τίνος* pro *τινὸς* simul recipiatur. Bekkerus quomodo hunc locum illa lectione reiecta intellexerit, nescio. iamque quid valeat sententia a *τίνος γὰρ* incipiens ad praecedentem fulciendam, perspicuum fit. medicum non decet circa meras partium corporis notiones atque definitiones versari, sed magis ad quem quaeque finem partes corpori iniunctae sint eum scire decet, quo facilius singulis singulorum hominum corporibus medicina subvenire possit. eae autem partes sunt *ἔνυλα εἴδη*, quae cui fini inserviant et quemadmodum ad singulos motus referenda sint, etiam physicum cognoscere decet. et iam eatenus physicum formam rei cognoscere constat, ut quem ad finem quaeque res mota moveatur materiaque ex sua tranquillitate ad mo-

tum cieatur intellegat. naturae peritum singulos singularum rerum fines cognoscere necesse est, qui quidem formis cum suapte materia consociatis contineantur. additur solemne in physicis exemplum: *ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ.* nam *γέννησις* cum sit *μεταβολή*, omnis autem *μεταβολή* fiat ex contrario ad contrarium, ita tamen ut materia subiecta sit quasi commutationis facultas et copia, physicam de formis cum materia coniunctis, quae movendi finem atque initium faciunt, agere necesse est. ita hoc exemplo, quod homo gignit hominem, de concretis rebus physico agendum esse demonstratur, siquidem physica de motu et commutatione *τῶν φαινομένων* est. sed quid velit *καὶ ἥλιος,* quae verba eam sententiam concludunt, nescio.

Neque enim usquam quamvis saepe hoc exemplum *ἄνθρωπος ἄνθρωπον γεννᾷ* iteretur[1] in libris philosophi, *καὶ ἥλιος* additur neque prorsus cum Aristotelis doctrina convenit solem et hominem seu hominem et solem gignere hominem. et si nullum in terra animans sine solis calore et luce procreari posse recte contendas[2], id tamen nec tam abrupte adici

1. cf. Bonitzii ind. Arist. 59 b 41 qui locos congessit: metaph. *Z* 7, 1032 a 25; 8, 1033 b 32; *Θ* 8, 1049 b 25; *Λ* 3, 1070 a 8; a 28; b 34; *N* 5, 1092 a 16; phys. *B* 1, 193 b 8; b 12; 7, 198 a 26; *Γ* 2, 202 a 11; de gen. et corr. *B* 6, 333 b 7; de part. anim. *Α* 1, 640 a 25; *B* 1, 646 a 33; de gen anim. *B* 1, 735 a 21 al. de eius exempli frequentia monuit Bonitzius in comm. ad Ar. met. 321.

2. recte omnino dici possit nihil humani generis procreari sine omnibus mundi partibus et viribus, neque animi ipsam naturam intellegi posse nisi totam naturam rerum ante perspexeris. quod iam Hippocratem proposuisse testis est Plato in Phaedro 270 C: *Σω. ψυχῆς οὖν φύσιν ἀξίως λόγου κατανοῆσαι οἴει δυνατὸν εἶναι ἄνευ τῆς τοῦ ὅλου φύσεως; Φαι. εἰ μὲν Ἱπποκράτει γέ τῷ τῶν Ἀσκληπιαδῶν δεῖ τι πιθέσθαι, οὐδὲ περὶ σώματος ἄνευ τῆς μεθόδου ταύτης.* ergo ad corpus humanum procreandum et alendum iam Hippocrates mundum universum ac fortasse maxime solem eiusque calorem aliaque *μετάρσια* advocasse videtur.

poterat neque quicquam ad rationem hic propositam comprobandam valebat.

Simplicius quidem, immo iam Alexander Aphrodisiensis, quamquam verba καὶ ἥλιος eis nondum suspecta erant, hic dubii haerebant, et Simplicius cum pro sua sagacitate non haberet, quomodo hoc loco uteretur, satis habebat Alexandri sententiam exscripsisse suumque iudicium dubitanter expressum addidisse. neque re vera ad propositum auctoris peragendum verba καὶ ἥλιος ullius momenti sunt. non eo videlicet quod solis calore ad procreandam subolem et alendam homo eget, efficitur περὶ τὰ χωριστά, ἐν ὕλῃ δέ versari doctrinam physicam, immo verba καὶ ἥλιος sententiarum structurae et conexui intellegendo tantum modo officiunt. unum locum comparandum adhibeo met. Λ 5, 1071 a 13: ὥσπερ ἀνθρώπου αἴτιον τά τε στοιχεῖα πῦρ καὶ γῆ ὡς ὕλη καὶ τὸ ἴδιον εἶδος καὶ εἴ τι ἄλλο ἔξω οἷον ὁ πατὴρ καὶ παρὰ ταῦτα ὁ ἥλιος καὶ ὁ λοξὸς κύκλος οὔτε ὕλη ὄντα οὔτ' εἶδος οὔτε στέρησις οὔτε ὁμοειδές, ἀλλὰ κινοῦντα. quae verba ni fallor ante oculos habuit quicunque καὶ ἥλιος textui phys. B 2, 194 b 13 adscripsit. neque enim iam quemquam dubitaturum existimo, quin nullo pacto ab Aristotele Physicorum verba καὶ ἥλιος provenerint. sed forsitan interpres ille aliunde sua repetierit; nam ut exemplum afferam, extat problem. XXVI 34, 944 a 30 ὁ γὰρ ἥλιος ἀρχὴ τῶν κινήσεών ἐστιν vel [Aristot.] de plantis A 2, 817 a 23 ἔστι δὲ καί τις ἀρχὴ τῆς μὲν τροφῆς τῶν φυτῶν ἀπὸ τῆς γῆς καὶ πάλιν ἀρχὴ ἑτέρα τῆς γενέσεως ἀπὸ τοῦ ἡλίου. sed non mirum videtur, quod ibi solem nominari facile patimur ἀρχὴν τῆς γενέσεως, at hic verba obscura καὶ ἥλιος perversa sunt. utique e textu exstirpanda videntur esse.

V.

Iam vero promissum tertii libri de anima scripti locum tractaturus primum rursus verba ipsa cum iis quae antecedunt appono; legitur enim de anima *Γ* 3, 428 a 1: *εἰ δή ἐστιν ἡ φαντασία καθ' ἣν λέγομεν φάντασμά τι ἡμῖν γίγνεσθαι καὶ μὴ εἴ τι κατὰ μεταφορὰν λέγομεν, μία τίς ἐστι τούτων δύναμις ἢ ἕξις, καθ' ἣν κρίνομεν καὶ ἀληθεύομεν ἢ ψευδόμεθα. τοιαῦται δ' εἰσὶν αἴσθησις, δόξα, ἐπιστήμη, νοῦς. ὅτι μὲν οὖν οὐκ ἔστιν αἴσθησις, δῆλον ἐκ τῶνδε. αἴσθησις μὲν γὰρ ἤτοι δύναμις ἢ ἐνέργεια, οἷον ὄψις καὶ ὅρασις, φαίνεται δέ τι καὶ μηδετέρου ὑπάρχοντος τούτων, οἷον τὰ ἐν τοῖς ὕπνοις. εἶτα αἴσθησις μὲν ἀεὶ πάρεστι, φαντασία δ' οὔ. εἰ δὲ τῇ ἐνεργείᾳ τὸ αὐτό, πᾶσιν ἂν ἐνδέχοιτο τοῖς θηρίοις φαντασίαν ὑπάρχειν· δοκεῖ δ' οὔ, οἷον μύρμηκι ἢ μελίττῃ ἢ σκώληκι. εἶτα αἱ μὲν ἀληθεῖς ἀεί, αἱ δὲ φαντασίαι γίνονται αἱ πλείους ψευδεῖς. ἔπειτ' οὐδὲ λέγομεν, ὅταν ἐνεργῶμεν ἀκριβῶς περὶ τὸ αἰσθητόν, ὅτι φαίνεται τοῦτο ἡμῖν ἄνθρωπος· ἀλλὰ μᾶλλον ὅταν μὴ ἐναργῶς αἰσθανώμεθα. καὶ ὅπερ δὲ ἐλέγομεν πρότερον, φαίνεται καὶ μύουσιν ὁράματα. ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τῶν ἀεὶ ἀληθευόντων οὐδεμία ἔσται, οἷον ἐπιστήμη ἢ νοῦς· ἔστι γὰρ φαντασία καὶ ψευδής. λείπεται ἄρα ἰδεῖν εἰ δόξα· γίνεται γὰρ δόξα καὶ ἀληθὴς καὶ ψευδής* (428 a 19).

Priusquam de eo loco fusius agam, vertam in linguam vernaculam: *Wenn also die Einbildungskraft das Vermögen ist, auf Grund dessen wir nach unserem Sprachgebrauch sinnliche Vorstellungsbilder erhalten, (nicht etwa bloss solche wie sie der bildlichen Ansdrucksweise der Sprache zugrunde liegen), so ist sie eines von denjenigen Vermögen oder geistigen Dispositionen, vermöge deren wir unterscheiden können und die Wahrheit erkennen oder uns irren. Solcher Art sind Wahr-*

nehmung, Meinung, Wissen, reines Denken. Dass nun die Einbildungskraft nicht identisch ist mit Wahrnehmung, erhellt aus folgender Erwägung. Wahrnehmung ist entweder Potenz oder Aktus, z. B. Sehvermögen und wirkliches Sehen, sinnliche Vorstellungsbilder haben wir indessen auch, ohne dass eins von diesen beiden vorhanden ist, z. B. unsere Einbildungen im Schlafe. Zweitens Wahrnehmung haben wir stets gegenwärtig, die Einbildungskraft hingegen ist nicht ständig wirksam. Wenn sie ferner der tatsächlichen Wirkung nach mit ihr identisch wäre, müssten alle Tiere Einbildungskraft besitzen. Allem Anscheine nach ist dies aber nicht der Fall, wie bei der Ameise oder Biene oder dem Wurm. Weiterhin sind die Wahrnehmungen immer wahr, hingegen erweisen sich die meisten Einbildungen als falsch. Ferner sagen wir auch nicht, wenn wir einen Wahrnehmungsgegenstand scharf wahrnehmen, dass wir uns dieses oder jenes als Menschen vorstellen, vielmehr sprechen wir so, wenn wir bloss ungenau wahrnehmen. Aber auch was wir früher bemerkten, kommt hinzu: auch bei geschlossenen Augen erscheinen uns Visionen.

Indessen die Einbildungskraft kann auch mit keiner von den Funktionen identisch sein, welche immer wahr sind, wie Wissen oder reines Denken. Denn es gibt ja auch falsche Einbildungen. Wir müssen somit nur noch prüfen, ob sie identisch ist mit der Meinung.

Cum Aristotelem de *φαντασία* dubitare quid sit numque cum aliqua ex reliquis animi facultatibus iam ante notis congruat, in propatulo sit, non est quod de via ac ratione, qua hic ad rem illam subtilissimam cognoscendam usus sit, plura disseram. dubium autem me haerere confiteor in hac enun-

tiatione: *ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τῶν ἀεὶ ἀληθευόντων οὐδεμία ἔσται οἷον ἐπιστήμη ἢ νοῦς· ἔστι γὰρ φαντασία καὶ ψευδής.* verbis *ἀλλὰ μήν* auctor ad novam rationem adgreditur, ut *φαντασίαν* paulatim percensens eum animi facultatium numerum, quem 428 a 5—8 exposuerat, ex earum agmine segreget. verbis *ἀλλὰ μήν* igitur ad eas animi facultates transgressurus videtur, quae semper verae sint, tanquam antea de aliis, quae his oppositae essent, verba fecerit. *τοῖς ἀεὶ ἀληθεύουσι* opponi oportet *τὰ ἀληθεύοντα ἢ ψευδόμενα.* et quandoquidem antea de *αἰσθήσει* agebatur, *αἴσθησιν*, si haec verba sola respicias, veram et falsam esse posse efficitur.

Sed eam doctrinam non esse Aristotelis his locis, quos operae pretium me facturum duxi si hic apponerem, apparebit.

Met. *Γ* 5, 1010 b 2 *οὐδ' ἡ αἴσθησις ψευδὴς τοῦ γ' ἰδίου ἐστίν,*

de anima *Γ* 6, 430 b 29 *τὸ ὁρᾶν τοῦ ἰδίου ἀληθές,*

de an. *Γ* 3, 427 b 12 *ἡ μὲν γὰρ αἴσθησις τῶν ἰδίων ἀεὶ ἀληθής,*

de an. *Γ* 3, 428 b 18 *ἡ αἴσθησις τῶν μὲν ἰδίων ἀληθής ἐστιν ἢ ὅτι ὀλίγιστον ἔχει τὸ ψεῦδος* (!),

tum de an. *Γ* 3, 428 a 11 (quem locum hic tractamus) *εἶτα αἱ μὲν* (scil. *αἰσθήσεις*) *ἀληθεῖς ἀεί,*

de an. *Γ* 7, 431 a 8 *τὸ μὲν οὖν αἰσθάνεσθαι ὅμοιον τῷ φάναι καὶ νοεῖν,* quo cum loco cf. met. *Θ* 10, 1051 b 23 *ἀλλ' ἔστι τὸ μὲν ἀληθὲς ἢ ψεῦδος τὸ μὲν θιγεῖν καὶ φάναι ἀληθές, (οὐ γὰρ ταὐτὸ κατάφασις καὶ φάσις), τὸ δ' ἀγνοεῖν μὴ θιγγάνειν,* quem ad locum intellegendum Christii conaminibus criticis opus esse non existimo (cf. Christ, Ar. met. p. 196).

Ex his duobus locis ubi *τὸ αἰσθάνεσθαι* et *τὸ νοεῖν* ad

τὰ ἁπλᾶ, τὰ ἀσύνθετα referuntur et cum tactu quodam rei comparantur, praeter eam veri ac falsi speciem, quae circa *σύνθεσιν καὶ διαίρεσιν* versatur, alteram quandam apud Stagiritam occurrere perspicuum est, de qua met. *Θ* 10, 1051 b 23 sqq. et *E* 4, 1027 b 27—28, sed hic non nisi obiter, disserit. haec altera vero species ea sola obiecta speculatur, quae simplicia nec omnino composita sunt, neque quicquam aliud hoc est genus veri nisi tangere et dicere rem, nil aliud falsum nisi non contingere vel nescire (cf. etiam Heinrich Maier, die Syllogistik des Aristoteles, ps. I: die logische Theorie des Urteils bei Ar. Tüb. 1896 pag. 6—8). et quamvis aliquis tergiversatus in eo insistat, quod de an. *Γ* 3, 428 b 18 legitur *ἡ αἴσθησις τῶν μὲν ἰδίων ἀληθής ἐστιν ἢ ὅτι ὀλίγιστον ἔχουσα τὸ ψεῦδος κτλ.* ita ut tamen error ad sensum accedere videatur, hoc ad locum nostrum expediendum minime attinet, quippe qui ipse sensum semper verum esse clarissime doceat. atque supra qui dixit *αἱ μὲν (αἰσθήσεις) ἀληθεῖς ἀεί, αἱ δὲ φαντασίαι γίνονται αἱ πλείους ψευδεῖς*, is sensum quasi eodem flatu vocis non poterat non inter *τὰ ἀεὶ ἀληθεύοντα* numerare.

Quamobrem verum non erat dicere quod Maierus, vir de logica Aristotelea post Prantelium unus omnium optime meritus, l. c. pag. 9 sqq., ubi ad de an. *Γ* 3, 428 a 3—5 respicit, iudicat: *Behält man diese Ausführungen* (scil. de an. *Γ* 3, 428 b 18—25) *im Auge, so hat es nichts Auffallendes mehr, wenn die Wahrnehmung zu den Vermögen gezählt wird, durch welche wir eine wahre oder falsche Entscheidung treffen, wenn ferner von den Vorstellungen (φαντασίαι), zu denen ebensowohl die Erinnerungs- als die Phantasiebilder gehören, gesagt wird, die Mehrzahl von ihnen sei falsch.*“ quibus verbis

quid inter *αἴσθησιν* et *φαντασίαν* atque inter earum veritatem et falsitatem intercedat, non accurate distinguitur. nam id ipsum Aristoteles in animo habet, ut *αἴσθησιν* segreget a *φαντασίᾳ*, et quo magis falsitatem *τῶν φαντασιῶν* premit, eo magis perstat in veritate *τῶν αἰσθήσεων* (428 a 11, ubi *αἴσθησις* non comparatur cum *φαντασίᾳ*, sed ei opponitur). nec candidissimo iudici Maiero in eo adstipulari possum, quod *αἴσθησιν* inter eas animi facultates habendam esse dicit, quibus et verum et falsum attingere possimus. nam quod de hac re nos ad 428 a 3—5 remittit, errat. ubi legitur *μία τίς ἐστι τούτων δύναμις ἢ ἕξις* (scil. *ἡ φαντασία*), *καθ᾽ ἣν κρίνομεν καὶ ἀληθεύομεν ἢ ψευδόμεθα. τοιαῦται δ᾽ εἰσὶν αἴσθησις, δόξα, ἐπιστήμη, νοῦς. καὶ* post *κρίνομεν* vim habet explicativam: *κρίνομεν τουτέστιν ἀληθεύομεν ἢ ψευδόμεθα.* sed non inest in iis verbis nos vel *αἰσθήσει* vel *νῷ* vel *ἐπιστήμῃ* vel denique *δόξῃ* cum verum assequi tum in errorem incidere posse. quod si valeret de *αἰσθήσει*, etiam de *νῷ* et *ἐπιστήμῃ* valeret, quod ne Maierus quidem contendit (cf. 428a 16—17). illud *ἢ ψευδόμεθα* non nisi ad *δόξαν* refertur, quamvis ex ipso loco non perspiciatur. nihil igitur de sensuum fallaciis ex eo loco concludere licet.

Immo hoc totum caput inde a 428 a 3 usque ad 428 a 19 documento est *αἴσθησιν, ἐπιστήμην, νοῦν* circa verum solum versari neque in suo cognoscendi genere errore contaminari, *δόξαν* solam in falsum delabi posse. itaque cum hic quoque locus 428 a 3—5 cum ceteris quos adhibuimus non pugnare censendus sit, *αἴσθησις,* velut ipsa verba 428 a 11 dicunt, semper vera esse debet. ergo 428 a 16 scribi non poterat: *ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τῶν ἀεὶ ἀληθευόντων οὐδεμία ἔσται οἷον ἐπιστήμη ἢ νοῦς.* propono igitur ut legatur ita: *ἀλλὰ μὴν οὐδὲ*

τῶν <*ἄλλων τῶν*> *ἀεὶ ἀληθευόντων οὐδεμία ἔσται* ita ut scientia et cogitatio sensibus non opponantur, sed illis enumeratio *τῶν ἀεὶ ἀληθευόντων* concludatur. hoc modo difficultatem omnem radicitus me sustulisse spero.

VI.

Textum Aristoteleorum codicum lacunis saepe obscurari testes sunt ll. mss. Metaphysicorum, Rhetoricorum, aliorum multorum. nunc Meteorologiae exemplo utor hoc loco. A 13, quo capite propter geographicas quae insunt Aristotelis opiniones in eo genere per cuncta philosophi scripta vix inveniri potest memorabilius, inde a 350 a 2 usque ad finem Aristotelis de fluminum origine ratio exposita est. quam liceat rationem his ipsius comprehendere verbis: *τὰ ῥεύματα τῶν ποταμῶν ἐκ τῶν ὀρῶν φαίνεται ῥέοντα, καὶ πλεῖστοι καὶ μέγιστοι ποταμοὶ ῥέουσιν ἐκ τῶν μεγίστων ὀρῶν.* quam sententiam ut experientia probaret simulque ut doctorum quorundam hominum opinionem refelleret, quibus *ἐξ ἀφωρισμένων κοιλιῶν* flumina et rivos gigni placuerat, ordinem fluminum, quae tunc maxima innotuerant, perlustravit. sed antequam ad ea examinanda aggrediatur, praeceptum suum hisce iterat verbis 350 a 14: *διὸ καθάπερ εἴπομεν οἱ μέγιστοι τῶν ποταμῶν ἐκ τῶν μεγίστων φαίνονται ῥέοντες ὀρῶν.*

Hanc rationem consiliumque sequuntur singula fluminum celebrium exempla.

350 a 18 *π λ ε ῖ σ τ ο ι μὲν ἐκ τοῦ Παρνασσοῦ καλουμένου φαίνονται ῥέοντες ὄρους καὶ μ έ γ ι σ τ ο ι π ο τ α μ ο ί, τοῦτο δὲ ὁμολογεῖται πάντων εἶναι μ έ γ ι σ τ ο ν ὄ ρ ο ς τῶν πρὸς τὴν ἕω τὴν χ ε ι μ ε ρ ι ν ή ν.*

350 a 25 Ἰνδὸς . . . πάντων τῶν ποταμῶν ῥεῦμα πλεῖστον.

350 a 26 ἐκ δὲ τοῦ Καυκάσου ἄλλοι τε ῥέουσι πολλοὶ καὶ κατὰ πλῆθος καὶ κατὰ μέγεθος ὑπερβάλλοντες καὶ ὁ Φᾶσις· ὁ δὲ Καύκασος μέγιστον ὄρος τῶν πρὸς τὴν ἕω τὴν θερινὴν καὶ πλήθει καὶ ὕψει.

350 b 4 τῶν ἄλλων ποταμῶν οἱ πλεῖστοι πρὸς ἄρκτον ἐκ τῶν ὀρῶν τῶν Ἀρκυνίων· ταῦτα δὲ καὶ ὕψει καὶ πλήθει μέγιστα περὶ τὸν τόπον τοῦτόν ἐστιν.

350 b 7 αἱ καλούμεναι Ῥῖπαι περὶ ὧν τοῦ μεγέθους λί ν εἰσὶν οἱ λεγόμενοι λόγοι μυθώδεις. ῥέουσι δ᾽οὖν οἱ πλεῖστοι καὶ μέγιστοι μετὰ τὸν Ἴστρον τῶν ἄλλων ποταμῶν ἐντεῦθεν.

Non sine causa omnibus his locis vel fluminibus vel montibus additur πλεῖστος vel μέγιστος vel tale quid nomen, cum id ipsum philosophus demonstraturus sit, ex summis summa delabi flumina cacuminibus. sed mireris cur in Pyrene monte describendo 350 b 1 verbum τοῦ μεγίστου desideretur. en, in Olympiodori ad Aristotelis meteorologiam commentariis invenitur hoc (105, 23 Stüve), ἀπὸ δὲ τῆς Πυρήνης — ὄρος δὲ καὶ τοῦτο τῆς Εὐρώπης· ἔφη γὰρ αὐτὸ μέγιστον εἶναι τῶν ὀρῶν τῶν ὄντων πρὸς τὰς ἰσημερινὰς δυσμάς, ἐκεῖ δὲ Εὐρώπη ἐστίν. ex eo videlicet quod ipse Aristoteles dixit Pyrenaeos montes summos esse ad occasum aequinoctialem, Olympiodorus eos in Europa sitos esse sumit: in Europa enim fieri, id quod ex suo addidit, occasus aequinoctiales. sed haec in nostris codicibus interierunt, qui praebent τοῦτο δ᾽ἐστὶν ὄρος πρὸς δυσμὴν ἰσημερινὴν ἐν τῇ Κελτικῇ. verum cum ita et sententiae acumen totum hebescat et Olympiodori cum hac lectione testimonium pugnet, insero: τοῦτο δ᾽ἐστὶν ὄρος <μέγιστον τῶν> πρὸς δυσμὴν ἰσημερινὴν ἐν τῇ Κελτικῇ.

VII.

Ordinatis his rebus unum adiciam ex Meteorologicis exemplum simillimum iis, quae supra e Metaphysicorum l. *Z* 10, 1035 a 23 et Physicorum l. *B* 2, 194 b 13 attulimus. meteor. *A* 2, 339 a 19 videmus scriptum: ὁ δὴ περὶ τὴν γῆν ὅλος κόσμος ἐκ τούτων συνέστηκε τῶν σωμάτων· περὶ ὃν τὰ συμβαίνοντα πάθη φαμὲν εἶναι ληπτέον. ἔστι δ᾽ ἐξ ἀνάγκης συνεχής πως οὗτος ταῖς ἄνω φοραῖς, ὥστε πᾶσαν αὐτοῦ τὴν δύναμιν κυβερνᾶσθαι ἐκεῖθεν· ὅθεν γὰρ ἡ τῆς κινήσεως ἀρχὴ πᾶσιν, ἐκείνην αἰτίαν νομιστέον πρώτην. πρὸς δὲ τούτοις ἡ μὲν ἀΐδιος καὶ τέλος οὐκ ἔχουσα τῷ τόπῳ τῆς κινήσεως, ἀλλ᾽ ἀεὶ ἐν τέλει· ταῦτα δὲ τὰ σώματα πάντα πεπερασμένους διέστηκε τόπους ἀλλήλων. ὥστε τῶν συμβαινόντων περὶ αὐτὸν πῦρ μὲν καὶ γῆν καὶ τὰ συγγενῆ τούτοις ὡς ἐν ὕλης εἴδει τῶν γιγνομένων αἴτια χρὴ νομίζειν (τὸ γὰρ ὑποκείμενον καὶ πάσχον τοῦτον προσαγορεύομεν τὸν τρόπον), τὸ δ᾽ οὕτως αἴτιον ὡς ὅθεν ἡ τῆς κινήσεως ἀρχή τὴν τῶν ἀεὶ κινουμένων αἰτιατέον δύναμιν (339 a 32).

Ibi ὁ ὅλος κόσμος et τὰ ὑποκείμενα σώματα, mundus et quattuor illa corpora prima Aristoteli accepta inter se opponuntur quidque utrique parti in motu rerum procreando muneris sit exponitur. haec omnis oratio optime illustratur longiore illa sententia, quae ei finem imponit, dico verba ab ὥστε τῶν συμβαινόντων περὶ αὐτόν 339 a 27 incipientia. in ea sententia quid velit τῶν συμβαινόντων περὶ αὐτόν videamus, quae verba varias ob causas mihi suspicionem moverunt.

Obiecta verbi νομίζειν sunt πῦρ καὶ γῆν καὶ τὰ συγγενῆ τούτοις, ubi cogitando supplemus ἀέρα καὶ ὕδωρ, quorum aer igni, terrae aqua magis cognata est (cf. a 18). praedicatum his obiectis adicitur αἴτια νομίζειν χρή, ita tamen ut τῶν αἰτίων genus accuratius significetur appositis verbis ὡς ἐν

ὕλης εἴδει αἴτια, i. e. pro causa materiali habenda sunt. quod si quaeris, cuius causam materialem ignem, terram, alia elementa putari necesse sit, respondetur tibi: *τῶν γιγνομένων*, quo vocabulo Aristoteles solemni utitur in omnibus naturae sensibilis eventibus appellandis. sed quae sit vis relinquenda verbis *τῶν συμβαινόντων περὶ αὐτόν*, dubium est.

Neque enim *τῶν συμβαινόντων* pro genetivo partitivo habebitur, cum ignis et terra et eius modi corpora *συμβαίνοντα* appellari non possint; porro pronomen *αὐτόν* non est quo referatur. neque eodem ordine et eadem vi posita *τῶν συμβαινόντων περὶ αὐτόν* verba esse possunt, qua *τῶν γιγνομένων*, cum omnino eandem significationem habeant et ne *καί* quidem particula cum eo verbo coniuncta sint. sed etiamsi *καί* reponeremus in textu, nihil melius. manet ea difficultas, quo *αὐτόν* referatur. referri enim nisi ad 339 a 20 *περὶ ὃν τὰ συμβαίνοντα πάθη* non potest, quod tamen non licet propter nimium interpositum intervallum. ergo facere non possumus, quin *τῶν συμβαινόντων περὶ αὐτόν* verba iudicemus interpretamentum esse ad *τῶν γιγνομένων* ob id ipsum a legenti quodam adscriptum, ut sibi vel aliis post se lecturis *τὰ γιγνόμενα* eadem esse, quae ante *τὰ περὶ τὸν ὅλον κόσμον συμβαίνοντα πάθη* appellaverat philosophus, in memoriam revocaret. quare *τῶν συμβαινόντων περὶ αὐτόν* verba extrudenda mihi videntur.

VIII.

Tribus quos quidem nos invenerimus locis Analyticorum posteriorum Stagirita explanavit, quid esset *τὸ καθ' αὑτό* i. e. id quod per se de aliquo subiecto praedicatur et ad

meram subiecti essentiam pertinet (nos dicimus „*Wesensbestimmtheit*“), primum p. 73 a 34, tum strictim p. 74 b 6, tertium hoc ipso quem tractaturi sumus loco, Anal. post. A 22, 84 a 12. tantae autem gravitatis rem ac ponderis sane operae pretium erat subtiliter examinare et interpretando stabilire.

Primo enim aspectu forsitan aliquis loci desperaverit illustrationem, ad quam tamen per Aristotelis tortuosum et perplexum disputandi genus altius penetrantibus aliquid viae relinquetur. *καθ' αὑτό* igitur, ut ait philosophus, dicuntur duo: aut eae determinationes, quae per se subiecto inhaerent et notione eius continentur; aut eae determinationes, quae non tantum subiecto inhaerent eoque continentur, sed et ipsae subiecti notionem invicem continent. omnis quidem numerus implicat notionem aut paris aut imparis (*ἄρτιον, περιττόν*), sed etiam vice versa notio paris et imparis numeri notionem implicat. grammatica autem ratio horum verborum est ea: (*καθ' αὑτά ἐστιν*) *ὅσα τε γὰρ [ἐν] ἐκείνοις* (sc. *τοῖς πράγμασιν*) *ἐνυπάρχει ἐν τῷ τί ἐστιν, καὶ οἷς αὐτὰ* (sc. *τὰ πράγματα* i. e. subiecta ipsa) *ἐν τῷ τί ἐστιν ὑπάρχουσιν αὐτοῖς.*

οἷς sc. *τῶν ἐνυπαρχόντων* i. e. „quibus determinationibus“, *αὐτοῖς* i. e. subiectis; *ὑπάρχουσιν* pluralis positus est pro singulari quem exspectamus. locus igitur vertendus est hunc in modum:

„*Denn der Beweis geht auf alle Bestimmungen, welche den Dingen* (i. e. *metaphysischen Subiecten*) *als Wesensbestimmungen inhärieren. Wesensbestimmungen unterscheiden wir zweifach: es sind das erstens alle Bestimmungen, welche den Dingen in ihrem Wesensbegriff inhärieren, und zweitens*

diejenigen Bestimmungen, denen selbst wiederum (οἷς . . αὐτοῖς) *ihre Subiecte* (αὐτά) *in ihrem* (*der Bestimmungen*) *Begriffe inhaerieren*, seu potius: *in deren Begriffe ihr Subiect notwendig wieder mitgedacht werden muss*".

quae explicatio cum nihil habeat dubitationis, longius procedamus.

Verba ὑπάρχειν et ἐνυπάρχειν hoc loco et eis maxime, quos ante cum hoc ipso contuli, promiscue neque ulla adhibita differentia sensus usurpari et ex contextu ipso satis elucet et a Bonitzio in indice Aristotelico q. d. pag. 257 b 1 ultro statutum est. duplex vero structura eorum verborum invenitur in scriptis Aristotelicis, duplex significatio: aut inhaerendi alicui rei, ὑπάρχειν τινὶ (*einer Sache als Prädikament dauernd zukommen i. e. inhärieren*), aut implicandi, ὑπάρχειν seu ἐνυπάρχειν ἐν τῷ τί ἐστιν (h. e. aliquid implicatur in notione rei). haec duo genera interdum miscentur et ita inter se iunguntur, ut subiectum metaphysicum (i. e. *das Ding*) dativum assumat, notionis verbum praepositionem ἐν.

Primum illud genus (ὑπάρχω τινί) cum usitatum sit, exempla eius generis afferamus nil oportet. en alterius exempla ex Analyticis collecta:

73 a 34 ὅσα ὑπάρχει τε ἐν τῷ τί ἐστι

73 a 36 καὶ ἐν τῷ λόγῳ τῷ λέγοντι τί ἐστιν ἐνυπάρχει

74 b 7 ἃ μὲν γὰρ ἐν τῷ τί ἐστιν ὑπάρχει

84 a 15 ἐνυπάρχει δ' αὐτὸς ὁ ἀριθμὸς ἐν τῷ λόγῳ αὐτοῦ.

His probatur exemplis non aliter praepositionem ἐν post verba ὑπάρχειν et ἐνυπάρχειν poni nisi significatio subest: aliquid implicatur in notione rei. hoc graece sic exprimitur: ἐν τῷ λόγῳ, ἐν τῷ τί ἐστι, ἐν τῷ λόγῳ τῷ λέγοντι τί ἐστι.

Iam de mixtione illarum structurarum facile est afferre, quod ad loci medicinam pertineat. exempla quidem eius mixtionis propono haec:

73 a 37 *ὅσοις . . . αὐτὰ ἐν τῷ λόγῳ ἐνυπάρχουσιν τῷ τί ἐστι δηλοῦντι.*

37 b 1 *καὶ πᾶσι τούτοις ἐνυπάρχουσιν ἐν τῷ λόγῳ τῷ τί ἐστι λέγοντι.*

74 b 8 *τοῖς δ' αὐτὰ ἐν τῷ τί ἐστιν ὑπάρχει.*

84 a 13 *οἷς αὐτὰ ἐν τῷ τί ἐστιν ὑπάρχουσιν.*

Norma igitur eius dicendi generis est haec: *ὑπάρχει* sive *ἐνυπάρχει τι πράγματι ἐν τῷ τί ἐστι* i. e. *das Praedikament ist für eine Sache in deren Begriff enthalten.*

Iam non est cur dubitemus, quin etiam 84 a 13 eundem in modum textus restituendus sit, ubi codices Bekkeri falso haec praestant: *ὅσα τε γὰρ ἐν ἐκείνοις ἐνυπάρχει ἐν τῷ τί ἐστι.*

Prima namque vocula *ἐν*, quae quam facile in tam frequenti vocis *ἐν* iteratione huc irrepere potuerit nemo non videt, tollenda videtur et eicienda esse; *ἐκείνοις* ad *τοῖς πράγμασιν* referendum est, in quibus quomodo determinationes implicatae esse possunt? immo vero inhaerent determinationes rebus suis, implicatae sunt in notione rerum. haec inhaerendi vis dativo graece exprimitur, id quod supra ostendimus: *ὑπάρχειν τινί.* nihil igitur aliud in hac quidem sententia ab arte grammatica expetendum esse perspicuum est nisi ipsam eam quam supra exemplis comprobavimus structuram: *ὑπάρχειν* seu *ἐνυπάρχειν τινὶ πράγματι ἐν τῷ τί ἐστι.* quare *ἐν* particula remota ita legatur: *ὅσα τε γὰρ ἐκείνοις ἐνυπάρχει ἐν τῷ τί ἐστι.*

IX.

In Anal. post. A 23, 84 b 14 ita legitur: *δεδειγμένων δὲ τούτων φανερὸν ὅτι ἐάν τι τὸ αὐτὸ δυσὶν ὑπάρχῃ, οἷον τὸ Α τῷ τε Γ καὶ τῷ Δ, μὴ κατηγορουμένου θατέρου κατὰ θατέρου, ἢ μηδαμῶς ἢ μὴ κατὰ παντός, ὅτι οὐκ ἀεὶ κατὰ κοινόν τι ὑπάρξει, οἷον τῷ ἰσοσκελεῖ καὶ τῷ σκαληνῷ τὸ δυσὶν ὀρθαῖς ἴσας ἔχειν κατὰ κοινόν τι ὑπάρχει. ᾗ γὰρ σχῆμά τι, ὑπάρχει, καὶ οὐχ ᾗ ἕτερον· τοῦτο δ᾽ οὐκ ἀεὶ οὕτως ἔχει. ἔστω γὰρ τὸ Β καθ᾽ ὃ τὸ Α τῷ ΓΔ ὑπάρχει. δῆλον τοίνυν ὅτι καὶ τὸ Β τῷ Γ καὶ τῷ Δ κατ᾽ ἄλλο κοινόν, κἀκεῖνο καθ᾽ ἕτερον, ὥστε δύο ὅρων μεταξὺ ἄπειροι ἂν ἐμπίπτοιεν ὅροι. ἀλλ᾽ ἀδύνατον. κατὰ μὲν τοίνυν κοινόν τι ὑπάρχειν οὐκ ἀνάγκη ἀεὶ τὸ αὐτὸ πλείοσι, ἐπείπερ ἔσται ἄμεσα διαστήματα. ἐν μέντοι τῷ αὐτῷ γένει καὶ ἐκ τῶν αὐτῶν ἀτόμων ἀνάγκη τοὺς ὅρους εἶναι, εἴπερ τῶν καθ᾽ αὑτὰ ὑπαρχόντων ἔσται τὸ κοινόν.*

Liceat mihi antequam ad locum depravatum sanandum accedamus, transferre verba Aristotelis inde ab initio capitis XXIII usque ad sedem deformationis.

„*Nachdem wir diesen Beweis erbracht, liegt es auf der Hand, dass, wenn ein und dasselbe Prädikat zwei Subjekten zukommt, z. B. A dem C und D, ohne dass das eine (C) von dem andern ausgesagt werden könnte, (sei es nun überhaupt oder partikulär) dass es dann nicht immer zufolge eines gemeinsamen Grundes den beiden zuzukommen braucht. Z. B. sowohl von dem gleichschenkligen als auch von dem ungleichseitigen Dreieck gilt der Satz von der Winkelsumme vermöge eines gemeinsamen Grundes; denn er gilt von ihnen, insofern sie eine bestimmte Figur sind (nämlich Dreiecke) und nicht sofern sie etwas anderes sind. Aber gerade dies ist nicht immer der*

Fall. Es möge z. B. B die Beziehung ausdrücken, derzufolge A von CD ausgesagt werden muss. Nun leuchtet es jedoch ein, dass auch B von C und D zufolge eines anderen gemeinsamen Grundes ausgesagt wird und dieser wieder zufolge eines anderen, so dass also zwischen zwei Termini unzählige Mittelbegriffe entfallen müssten. Dies ist aber ausgeschlossen. Folglich braucht ein und dasselbe Prädikat mehreren Subjekten nicht immer notwendig zufolge eines gemeinsamen Grundes zuzukommen, da es ja dann ***unmittelbare Sätze geben müsste.*** *Wohl aber ist notwendig, dass die Begriffe in derselben Gattung und unter sich begriffsverwandt sind, wenn ja das Gemeinsame etwas an sich zukommendes sein soll.*

Ea quam typis notavi ratio quam sit inepta neminem praeterire posse existimo, siquis philosophi cogitationes per hanc totam partem inde a pag. 84 a 29 de industria persecutus erit. neque etiam aliam versionem is locus patitur, quod ut accuratius evincerem mihi proposui. namque futuri temporis usus qui esset apud Aristotelem, tametsi neque ullum sane tempus frequentius est in scriptis eius praeter praesens neque magis vario adhibetur sensu, nemo adhuc diligenter requisivit. saepissime invenitur in conclusionibus simplicibus; antecedere solet propositio a vocula *εἰ* sive *ἐπεί* incipiens, quae si condicionem q. d. realem continet, tempus praesens solet assumere; sequitur conclusio tempore futuro significata, id quod vertimus: *so muß das und das der Fall sein.*

Velut Anal. post. 82 b 20 — ut ex innumeris exemplis pauca afferam — legitur ita: *ἐπεὶ τὸ ὑπάρχειν ἀεὶ τῷ ἀνωτέρω ἵσταται, στήσεται καὶ τὸ μὴ ὑπάρχειν (so muß . . .).*

79 b 33 *εἰ γὰρ μήτε τὸ Α μηδενὶ τῶν Γ ὑπάρχει μήτε τὸ Γ μηδενὶ τῶν Β, εἴληπται δ' ἑκατέρα ἀνάπαλιν, ἄμφω ψευδεῖς ἔσονται (so müssen . . .)* quod genus latissime patet, sed ita ut etiam praesens pro futuro in conclusione non inusitatum sit.

Sin autem condicio quam dixi non est realis, sed ficta vel potius irrealis, pro praesenti in propositione quoque ponitur futurum, futurum idem vel modus q. d. potentialis in conclusione. cuius usus et consuetudinis exempla quamvis permulta legantur apud Stagiritam, tamen, cum non sine aliquo fructu id fore sperem, nonnulla hic afferam:

De gener. et corr. 317 b 1 *εἰ γὰρ ἁπλῶς ἔσται ἡ γένεσις, ἁπλῶς ἂν γίγνοιτο ἐκ μὴ ὄντος. (wenn wäre, so . . . wäre).*

ib. 317 b 31 *εἰ δὲ τὸ μὲν εἶναι τόδε τι ἢ οὐσίαν οὐχ ὑπάρξει, . . ἔσται . . . χωριστὰ τὰ πάθη τῶν οὐσιῶν (wenn . . zukäme . . .).*

ib. 320 b 5 *ἀλλὰ μὴν εἴ γ' ἔν τινι ὑπάρξει, συμβήσεται πολλὰ καὶ ἀδύνατα.* ib. 321 a 26 *εἰ δὴ ἔσται ἡ εἰρημένη αὔξησις, ἐνδέχοιτ' ἂν μηδενός γε προσιόντος . . . αὐξάνεσθαι.*

Anal. post. Α 89 a 16 *εἰ μὲν οὕτως ὑπολήψεται . . ., οὐ δοξάσει, ἀλλ' ἐπιστήσεται.*

ib. 72 a 34 *συμβήσεται δὲ τοῦτο, εἰ μή τις προγνώσεται τῶν δι' ἀπόδειξιν πιστευόντων.*

De anima Α 410 a 8 *εἰ μὴ καὶ οἱ λόγοι ἐνέσονται.*

ib. Α 406 a 27 *εἰ κινήσεται, πῦρ ἔσται.*

Omnibus his locis futurum indicat condicionem esse irrealem neque ullo alio modo nisi cogitando positam. atque si hoc loco unde orsus sum verba *ἐπείπερ ἔσται ἄμεσα διαστήματα* recte leguntur futurum, *ἔσται* non aliter accipere possumus nisi sic: *da es ja dann geben müßte,* i. e. nihil nisi

conclusionem continere possunt. quod cum Aristotelis doctrina pugnat, quippe qui permultis eisque illustribus locis *τὰ ἄμεσα, πρῶτα, ἀναπόδεικτα* initia et principia argumentandi et demonstrandi esse censeat (cf. An. post. *Α* cap. 2 p. 71 b 9, imprimis 71 b 20 sqq., An. post. *Β* c. 19). consectarium est igitur locum deformatum esse. praeterea *ἐπείπερ*, quod apud hunc auctorem satis rarum est, cum causam afferre soleat, cum praesenti maxime struitur. quare coniectura nobis quasi ultro offertur *ἐπείπερ ἔστιν ἄμεσα διαστήματα.* quod quamquam sensui satisfacere videretur, tamen habeo cur recusem ne in contextum recipiatur.

Etenim totius loci conformationem intuenti ilico in mentem veniet generis dicendi apud Aristotelem acceptissimi et creberrimi. namque in sententiis secundariis idem futurum etiam alio sensu usurpatur ita ut significet idem quod *μέλλει* c. inf. fut. (nos *„sollen“*).

Vide haec exempla:

An. post. *Α* 84 b 14 *ἐν μέντοι τῷ αὐτῷ γένει . . ἀνάγκη τοὺς ὅρους εἶναι, εἴπερ τῶν καθ' αὑτὸ ὑπαρχόντων ἔσται τὸ κοινόν.*

(*i. e. wenn wirklich der gemeinsame Grund . . . sein soll*).

Meteorol. *Α* 338 b 7 similiter

εἰ μὲν νέφος ἔσται, δεῖ ὗσαι, καὶ εἰ ὕσει γε, δεῖ νέφος εἶναι.

An. post. 77 a 5: *εἴδη μὲν οὖν εἶναι . . . οὐκ ἀνάγκη, εἰ ἀπόδειξις ἔσται.*

An. post 80 a 30 *δεῖ δ' οὕτω λαμβάνειν τὰς προτάσεις . . ., εἴπερ ἔσται συλλογισμός.*

An, post. 80 b 35 ληπτέαι γὰρ ἐναντίως ἢ ὡς ἔχουσιν αἱ προτάσεις, εἰ μέλλει συλλογισμὸς ἔσεσθαι (= εἰ ἔσται).

An. post. 81 a 18 ἀνάγκη γὰρ τὴν ΓΒ μένειν, εἴπερ "σται συλλογισμός.

An. post *A* 72 b 3 τὸν μέλλοντα ἕξειν τὴν ἐπιστήμην . . . οὐ μόνον δεῖ τὰς ἀρχὰς μᾶλλον γνωρίζειν . . ., εἴπερ δεῖ τὸν ἐπιστάμενον ἁπλῶς ἀμετάπειστον εἶναι (= εἴπερ . . ἔσται).

An. post. 72 b 26 κύκλῳ δ' ὅτι ἀδύνατον ἀποδείκνυσθαι ἁπλῶς, δῆλον, εἴπερ ἐκ προτέρων δεῖ τὴν ἀπόδειξιν εἶναι (= εἴπερ ἔσται).

His illustratur exemplis illud genus dicendi apud philosophum ab omni parte tritum fuisse et usitatum. verbum sententiae primariae notionem necessitatis vel contrarii — fieri aliquid non posse — habet; sententia secundaria a voce εἰ vel εἴπερ incipiens futuro utitur, quod eodem sensu usurpatur quo μέλλειν sive δεῖν c. inf. perspicuum est huius loci orationem eundem in modum esse comparatam, id quod verbo ἀνάγκη in primaria indicatur sententia, tempore futuro ἔσται in secundaria, inprimis autem ipso sensu postulari videtur. is enim intellegendus est ita: *es ist nicht notwendig, daß ein und dasselbe Prädikat mehreren Subjekten immer zufolge eines gemeinsamen Grundes zukomme, wenn anders es überhaupt unmittelbare Sätze geben soll* (scil. *wenn anders solche noch einen Zweck haben sollen*). namque si sunt ἄμεσα διαστήματα, non necesse est praedicationem, quae una de duobus subiectis praedicatur, communi de causa de iis praedicari. quare reponi iubeo εἴπερ (pro ἐπείπερ) ἔσται ἄμεσα διαστήματα, quae coniectura et facilitate corrigendi et usu dicendi recommendatur.

X.

De Aristotelis Physicis quamquam supra diximus, tamen hanc de eius libri loco levissime turbato disputatiunculam in fine totius dissertationis propter ipsam emendationis tenuitatem collocare malo. illic igitur *E* 1, 225 a 30 haec extant verba:

ταῦτά τε δὴ συμβαίνει δυσχερῆ τῷ κινεῖσθαι τὸ μὴ ὂν καὶ εἰ πᾶν τὸ κινούμενον ἐν τόπῳ, τὸ δέ μὴ ὂν οὐκ ἔστιν ἐν τόπῳ.

Praemonendum est versibus praecedentibus Aristotelem demonstrasse diversas commutationis (*μεταβολή* graece vocatur) rationes. iam eam commutationis rationem, quae *γένεσις* et *φθορά* appellatur et maxime ad essentiam rerum refertur (*ἡ κατ᾽ οὐσίαν μεταβολή*, *ἡ μεταβολὴ ἡ κατά τι* cf. met. 1069 b 9), eam non esse *κίνησιν* sicut ceteras commutationis rationes, quae sunt *φορά, ἀλλοίωσις, φθίσις καὶ αὔξησις*, demonstraturus est. quem ad finem orditur a notione *τοῦ μὴ ὄντος*, unde id oritur, quod generatur, quo resolvitur id, quod corrumpitur. quaestio est utrum haec generatio, quae in ampliorem illam commutationis notionem cadit, motio sit necne. quod Stagirita negat, cum demonstrat *τὸ μὴ ὂν* moveri nequire; siquid igitur generetur, hanc generationem non esse motionem, quia omnis generatio fiat *ἐκ τοῦ μὴ ὄντος*.

Qua re demonstrata p. 225 a 30 alterum promit argumentum: nam cum omnis motio necessario *ἐν τόπῳ* fiat, enerationem non esse posse motionem; generationem enim fieri *ἐκ τοῦ μὴ ὄντος*, quod nequeat *ἐν τόπῳ* subsistere. hoc argumentum continetur ea quam dixi sententia. tamen dubitationem habet locus, quae unde exsistat, interpretando apparebit. quare primum de verbis singulis disseram.

ταῦτα ad sententiam antecedentem refertur, qua ex pro-

positione falsa falsior fit conclusio, ut ea propositionem ineptam esse ostendatur. conclusio autem erat *τὸ μὴ ὄν* debere moveri, id quod ridiculum est.

Hanc ad conclusionem *ταῦτα* refertur. *συμβαίνει* significat „evenit“ (logice intellegas). *δυσχερῆ* est adiectivum praedicativum.

Dubitatio incipit a verbis *τῷ κινεῖσθαι τὸ μὴ ὄν*, num verbum *συμβαίνω* cum dativo causae possit coniungi. quod equidem neque adhuc exemplis comprobare potui neque omnino comprobari posse iudico. nam ubique cum dativo personae (nos *es ergibt sich für jmd.*) coniungitur, tum causa praepositione *ἐκ* c. gen. adicitur. eius consuetudinis exempla extant satis numerosa apud Platonem et Aristotelem. cf. quae attuli:

Ar. top. *Θ* 156 b 38 *συμβαίνει ἐκ τῶν κειμένων.*

Pl. Gorg. 498 c *συμβ. ἐκ τῶν ὡμολογημένων.*

Ib. 479 c *τὰ συμβαίνοντα ἐκ τοῦ λόγου,* praeterea etiam Phileb. 35 c, Gorg. 461 b, alia. quamobrem non audeo *τῷ κινεῖσθαι* coniungere cum verbo *συμβαίνει.*

Accedit, quod disiunctio huius enuntiationis voculis *τε — καί* effecta aliquam praebet offensionem. vertere namque oportet: „Et hae eveniunt difficultates et aliae, quandoquidem (= *εἰ*), quicquid movetur, *ἐν τόπῳ* movetur“. sed „aliae“ licet suppleamus, in textu certe non extat *ἄλλα.* quae difficultas auget etiam priorem suspicionem.

Sed videamus, ubi depravatio insederit. namque pro *τε* vocula cod. E exhibet *δέ.* item loco Metaphysicorum 1067 b 34, ubi eadem verba traduntur memoriae, A^b praebet *δέ* (non *δή*, quod falso legitur in apparatu critico editionis academicae), quod qui receperit, difficultatem de *τε — καί* dis-

iunctione ortam tollet. nec satis hoc, cum verbo τῷ κινεῖσθαι appareat pro ταῦτα poscendum esse ταὐτά: ὁ αὐτός c. dat. comp. cf. Kühner-Gerth, G. Gramm. II 1 p. 411 § 423,9. ταὐτά συμβαίνει δυσχερῆ τῷ κινεῖσθαι τὸ μὴ ὄν idem est quod ὥσπερ τὸ κινεῖσθαι τὸ μὴ ὄν.

De particulis δὲ δή inter se consociandis non est quod moneam: tam saepe simul leguntur. quare sic restituo:

ταὐτὰ δὲ δὴ συμβαίνει δυσχερῆ τῷ κινεῖσθαι τὸ μὴ ὂν καὶ εἰ πᾶν τὸ κινούμενον ἐν τόπῳ.

Quod verte in vernaculam linguam ita: „*Die gleichen ungereimten Konsequenzen wie bei der Bewegung des Nichtseienden ergeben sich auch aus der Ueberlegung* (sive *daraus*), *dass* (εἰ) *alles was sich bewegt im Raume ist* . . .“

Item emendandum esse locum Metaph. 1067 b 34—36 quem supra commemoravi persuasum habeo, quem Adolfus Lasson eundem in modum in versione Metaphysicorum expressit.

Vita.

Natus sum Vernerus Guilelmus Iaeger Lobberici in vico Rhenano prope Batavorum fines sito anno 1888 propridie kal. Augustas patre Carolo Augusto, qui ante hos tres annos praematura morte decessit, matre Helena e gente Birschel, quae adhuc superstes est. confessioni addictus sum evangelicae. inde a quarto aetatis anno elementis imbutus privatis curis a sexto anno ludum oppiduli paterni frequentavi; anno 1898 pater in scholas Lobbericenses quas vocamus Rectoratschule me misit. ab anno 1902 usque ad a. 1907 gymnasium Thomaeum, quod in oppidulo Kempen est, frequentavi. vere a. 1907 testimonio maturitatis instructus in civium almae matris Marpurgensis numerum receptus sum. autumno eiusdem anni Berolinum profectus sum, ubi octo semestria studiis me dedidi philologis et historicis, theologis et philosophis. docuerunt me Marpurgenses Maass, Kalbfleisch, Birt, de Sybel, Klebs; Berolinenses Hermannus Diels et Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff, Eduardus Norden, Vahlen, Wentzel, Helm; Guilelmus Schulze, Eduardus Meyer, Hirschfeld, Roethe, Lenz, Kekulé de Stradonitz (†); Riehl, Lasson, Erdmann, Dessoir, Stumpf; Harnack, Weiß, Pfleiderer, Runze; de Halle; P. M. Meyer, Caspar, Zscharnack, Groethuysen.

Seminario historico et proseminario philologo Marpurgensibus sodalis ordinarius interfui. Berolini sodalis ordinarius fui proseminarii philologi moderantibus Norden, Wentzel, Helm per tria semestria; seminarii regii philologi moderantibus Vahlen, Ud. de Wilamowitz-Moellendorff, Norden, per duo semestria; seminarii philosophi regente Riehl duo semestria; exercitationibus interfui Lassonii duo semestria, Stumpfii, Dessoirii, Hirschfeldi, Wentzelii, Casparii singula semestria.

Quibus cunctis, imprimis autem Dielesio, Wilamowitzio, Nordeno gratias ago candidas, quorum Dielesius ad dissertationem conficiendam me incitavit, Wilamowitzius semper et Nordenus summa liberalitate in opere me adiuverunt. sed quantum iis debeam, hic dicere si vellem, vix possem.

Examen rigorosum habitum est a. d. XV kal. Jun.

Typis expressit Aemilius Ebering, Berolini, Mittelstr. 39.